This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Intr
2952

586.2
Dahl

Bd. 1873.



O. B.

THE LIBRARY ... L,
S

JOANNIS CHRISTIANI GUIL. DAHL

THEOL. DOCTORIS ET PROF. P. O.

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

COMMENTATIO EXEGETICO - CRITICA

DE

ΑΥΘΕΝΤΙΑ EPISTOLARUM PETRINAE POSTERIORIS ATQUE JUDAE.

ADIUNCTAE SUNT S. VEN. *ZIEGLERI* ANIMADVERSIONES IN SENSUM NOMINIS EPP. CATHOLICARUM EARUMQUE NUMERUM IN VETUSTISSIMA ECCLESIA.

ROSTOCHII,

APUD CAROL. CHRISTOPH. STILLERUM

MDCCCVII.

DE

ΑΥΘΕΝΤΙΑ EPISTOLARUM PETRINAE POSTERIORIS ATQUE JUDAE.

Conſtat inter omnes ſacrae criticae gnaros, *Petrinam poſteriorem* atque *Judae epiſtolam* argumento ſtiloque ſimillimam critica momenta maximam partem habere communia, ita ut fere quisque, qui de unius origine atque *αυθεντια* iudicaverit, ſimul de altera quoque ſententiam tulerit. Mirum in modum vero ab antiquiſſima usque ad noſtram aetatem iudicia hac de re propoſita a ſe invicem diſcedunt. Non ſolum magna cohors lectorum Novi Teſtamenti, ſed multi etiam viri *περιεργαζομενοι utramque epiſtolam γνησιαν* putarunt. *Nonnulli* vero *) *utramque* ſpuriam cenſuerunt. Alii contra non niſi *alterutram* exiſtimarunt genuinam, ita

*) Neſcio an modum exceſſerit cenſor eruditus nuper in *Supplementis ad Hal. Ephemerides univerſ. literar. anni* 1805 Nr. 147 p. 369 ita ſcribens: „Am ſchlimmſten erging es den *beiden* Zwillings-Briefen, dem *zweyten Brief Petri* und der *Epiſtel des Apoſtels* (?) *Judas*. Ungeachtet der Vindicationen von POTT, KLEUKER, NIETZSCHE, HAENLEIN u. a. werden ſie noch von den *Meiſten* für *Werke eines frommen Betrug's* erklärt. Vgl. HENKE's N. Magazin für Religionsphiloſophie u. ſ. w. III B. 2 St. SCHMIDT's Allg. Biblioth. der n. theol. u. pädag. Lit. V. B. 2 St. S. 263 ff. *Deſſen* Handbuch der Kirchengeſchichte I Th. S. 43 ff. A. L. Z. 1805. Num. 58. u. a.“

ita ut vel Petrinae posteriori vel epistolae Judae γνησιότητα vindicare studerent. Fuerunt etiam, qui Petrinam esse suppositam pro certo affirmarent; an vero epistola, Judae nomine recepta, genuina sit, in medio relinquendum esse statuerent. Animum sane, quod criticorum iudicia ita fluctuant, si tantum epistolam vulgo Judae attributam spectamus, parum turbare potest, quum nec inscriptio libelli, quae Judam auctorem profitetur, nec ullum aliud eius dictum hunc Judam tanquam apostolum evidenter designet, maxime vero, quia epistolae exiguum versiculorum numerum complectenti nihil inest, quod ad summam doctrinae christianae vel amplificandam vel illustrandam faciat, nihil, quod ad sensum vere christianum in animis hominum excitandum seu confirmandum doctores publice constituti desiderarent. Auctor enim epistolae in eo tantum versatur, ut perditissimos haeresium conditores in antiquiori aevo christiano exortos acerbissimis verbis describat veraeque doctrinae assecla sollicite moneat, ne ab illis in viam erraticam se abduci patiantur. Pauciſſima, quae e tali contextu ad errores recentioris aetatis plane alios repellendos atque hodiernas morum corruptelas cohibendas forte aliquis petere vellet, ex uberioribus luculentioribusque scriptorum apostolicorum decretis ac praeceptis multo praestantiori usu hauriri posse, quis est, quem fugiat? Quo respectu vix esset dolendum, si *epistola Judae* ad nostram aetatem *non* perveniſſet. Quid? Loca quaedam epistolae (verss. 7. 9. 14. 23.), quae vel liberalioris ingenii lectorem offendunt, facile mentem inclinare possunt, ut scriptionem illam *minime* in canonem N. T. receptam esse optemus. — Longe vero alia res est, si *epistolam Petrinam posteriorem* respicientes, insignem illum criticorum dissensum perpendamus. Haec enim epistola expresse nomen *Simeonis Petri apostoli* in fronte habet, qui ex cordatioribus ac familiarissimis servatoris discipulis, immo assiduis eius sectatoribus fuisse celebratur. An praeter primam epistolam ab omni νοθείας suspicione liberam secunda quoque a tanto viro vere profecta in sacro nostro canone exstet, sane est res maximi momenti. Accedit quod epistola posteriori loco Petro adscripta praeter ea, quae sicuti omnis Judae epistola sceleſtissimos ψευδοδιδασκάλους spectant, multa praeclara contineat, quae cum ἱερῷ παιδείας apostolico apprime consentiunt quaeque vim summam habeant ad hominum animos docendos, emendandos erigendosque. Quae cum ita sint, nec indignum Theologo nec inconveniens nostrae aetati, ubi nonnulli viri eruditi exstiterunt, qui epistolae Judae patrocinium agentes,

tes, αυθεντιαν Petrinae posterioris denuo impugnarent *), totam materiem retractandi conamen videbitur. Mihi quidem lectiones exegeticae bis a me habitae in epistolas N. T., quas dicunt, catholicas ansam praebuerunt, ut quaecunque ad γνησιοτητα auctoritatemque tam unius quam alterius epistolae vel sollicitandam vel stabiliendam in virorum doctorum scriptis evulgata sunt, diligentiori studio examinarem, indeque mihi persuasum est, non omnia, quae ad hanc rem in plurimis suis partibus impediriorem pertineant, ita esse expedita ac perfecta, ut in eam pro virium modulo inquirens, laborem superfluum suscepisse putari queam. Totam vero rerum enarrandarum atque diiudicandarum copiam hac ratione dispescam:

In *sectione prima* de testimoniis veterum scriptorum ecclesiasticorum agam, quae ad unius alteriusve epistolae αυθεντιαν auctoritatemque vel corroborandam vel convellendam pertineant.

In *sectione secunda* singulos utriusque epistolae versiculos, quibus similitudo intercedit, accuratius comparabo, unde Judae epistolam ex Petrina expressam ideoque ea posteriorem esse apparebit.

In *sectione tertia* causas quasdam probabiles explicabo, quae effecerint, ut Petrinae epistolae a vetustioribus patribus eccles. vel nulla vel non nisi suspectae mentio fieret.

In *sectione quarta* argumenta, quae dicunt *interna*, expendam, quibus ad Petrinae epistolae γνησιοτητα sollicitandam usi sunt recentiores.

In *sectione quinta* ab ipsa Petrinae ep. indole argumenta petam, quae eam genuinam esse ex meo quidem iudicio satis luculenter evincunt.

In *sectione sexta* denique rationes exponam, quibus inductus epistolam, quae Judae nomine fertur, ab apostolo conscriptam esse maxime dubitem, addita coniectura, quonam modo epistola orta maturiusque Petrinâ auctoritatem consecuta sit.

*) Honoris causa nomino vener. I. I. CHR. SCHMIDT, Theologum Giessensem, cuius argumenta (v. eius librum *Historisch-kritische Einleitung in's N. T.* Giessae 1804 editum §. 142. 743 et 153—156) secutus esse videtur doct. WELCKER, qui SCHMIDTII librum inscriptum: *Philologisch-exeget. Clavis über das N. T. für Academien* continuavit edita partis 2dae sectione secunda. (Giessae 1805).

SECTIO PRIMA.

Perpenduntur teſtimonia veterum ſcriptorum eccleſiaſticorum, quae ad Petrinae poſterioris atque Judae epiſtolae αυθεντιαν auctoritatemque vel corroborandam vel convellendam pertineant.

1. Apud ſcriptores eccleſiaſticos e *primo ſeculo* exſtantes nec unius nec alterius epiſtolae ulla mentio fit. Hanc vero ſortem cum aliis libris N. T., quorum *αυθεντια* nunquam in dubium vocata vel certe nullis argumentis gravioribus impugnata eſt, communem habent, nec eſt ut hac de re ſolliciti ſimus, quum ex pluribus cauſis facile aeſtimandis fieri potuerit, ut libelli pauculas plagulas comprehendentes iique demum vergente primo ſeculo exarati a paucis illis rarisque ſcriptoribus, qui ex eodem ſeculo aetatem tulerunt, haud memorarentur. Operam tamen navarunt nonnulli critici, ut apud eccleſiaſticos primi ſeculi auctores exquirerent locos, e quibus appareat, utrasque illas epiſtolas, licet nuſpiam nominatim recenſitas, in uſu tamen fuiſſe, ita ut auctores eccleſiaſtici iis alluſiſſent aut haec illave ex iis hauſiſſent. Verum auctores primi ſeculi hunc in finem incaſſo labore perluſtrati ſunt. LARDNERUS quidem *a*), CHR. FR. SCHMIDIUS *b*) et vener. POTTIUS *c*) ex *Clemente Romano* et *Hermae Paſtore* (quem librum tamen a quibusdam ad ſeculum ſecundum referri conſtat) locos attulerunt, quibus ſimilitudinem cum locis *ep. Petrinae*

a) in libro inſcripto: *The credibility of the goſpel hiſtory.* Part. II. Tom. I.
b) in *Hiſtoria antiqua et vindicatio, canonis ſacri* §. 263 coll. §. 106 et 113.
c) in *Prolegg.* in II Ep. Petr. p. 173.

nae intercedere putarent, at similitudo est vel remotissima vel talis, ut ex eodem fonte, quem scriptores citati et Petrinae epistolae auctor pariter adire potuerunt, antiqua nempe historia in V. T. obvia derivanda sit. SCHMIDIUS *d*) unum quoque ex utroque scriptore ecclesiastico commemorato eruit locum, quem cum dictis *in ep. Judae* comparat, sed inde nil certi colligi posse, nemo diffitebitur, qui rem a praeconcepta opinione alienus perspexerit.

2. Gravioris momenti est, an etiam apud *secundi seculi* auctores nulla vestigia deprehendantur, quae utrasque epistolas ea aetate usu tritas fuisse probare possent. Haud defuerunt critici, qui talia in medium proferre conarentur, sed, si ep. *Petrinam* posteriorem spectamus, parum prospero successu. Memorarunt triumviros gravissimos *Justinum Martyrem, Irenaeum* et *Clementem Alexandrinum* tanquam testes epistolae Petrinae. Duos priores locis infra *e*) citatis dictum Petrinum c. III, 8 exhibuisse autumant, at ven. I. E. C. SCHMIDT *f*) conjiciendo oppositit, utrosque patres potius sententiam ex Psalmo XC, 4 mutuatos esse, e quo fonte ipsum dictum Petrinum manaverit. Cui suspicioni tanto magis assentiendum puto, quum *Justinus Martyr* epistolas apostolorum omnino nullas cognovisse videatur; (eius enim in operibus memorantur solummodo *απομνημονευματα των αποστολων, α καλειται ευαγγελια* atque *αποκαλυψις* tanquam ab Joanne apostolo conscripta *g*),—) quumque *Irenaeus* (adv. haeres. IV, 9) locum prioris Petrinae epistolae (c. I, 8) his verbis excitet: „*Petrus ait in epistola sua*," unde coniicere licet, illum apostoli epistolam, quae nunc *prior* appellatur, non nisi unicam habuisse *h*). Quod tertium testem e secundo seculo allatum, *Clementem Alexandrinum* attinet

d) in libro cit. §. 106 p. 288 nota 25 extr. et §. 113 nota 23.

e) *Justinus* in *Dial. cum Trypb.* p. 308 ed. *Sylburg*: *συνηκαμεν και το ειρημενον, οτι ἡμερα κυριου ὡς χιλια ετη, εις τουτο συναγει. Irenaeus adv. haeres.* V, 23: „Quoniam enim dies Domini sicut mille anni etc." et V, 28: *ἡ γαρ ἡμερα Κυριου ὡς χιλια ετη.*

f) *Historisch-kritische Einleitung in's N. T.* §. 154.

g) Cf. rev. WEBERI *Beiträge zur Geschichte des neutestam. Kanon's* (Tübingen 1791) pag. 106.

h) Miror, WEBERUM l. l. p. 122 scribere potuisse: „Doch scheint *Irenaeus*, ohne den Verfasser zu nennen, auf den Brief an die Hebräer anzuspielen: *dieses gilt auch von dem Brief — Judae* und *dem zweyten Petri*."

net, eum contendunt in *cohort. ad gentes* (p. 38 ed. Oxon.) verbis: ἣν ὁδὸν τῆς ἀληθείας ἐμπεδίζουσι alludere loco a Petri II, 2, ubi verba: δι' ἣς ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας βλασφημηθήσεται. legantur. At hocce argumentum levius est. Qui enim probari potest, *Clementem* in illam φράσιν incidere nequiviſſe, niſi verbis Petrinis antea lectis? Notum est, in V. T. locis e. gr. Genes. XXIV, 48. Pſalm. CIX, 30 occurrere dictionem דרך אמת et דרך אמונה hancque ab Alexandrino interprete redditam esse ὁδὸν τῆς ἀληθείας. Verum enim ut *Clementem Alexandr.* teſtem epiſtolae Petrinae facerent, provocarunt etiam ad locum *Euſebii* in H. E. VI, 14, ubi annotatum legitur: Clementem in libris ὑποτυπώσεων *omnium* utriusque ſacri codicis *librorum* compendioſam inſtituiſſe enarrationem; ne illis quidem praetermiſſis ſcripturis, de quibus inter multos ambigeretur, Judae ac *reliquis catholicis epiſtolis* atque Barnabae epiſtola et revelatione Petri. Ex his verbis, dummodo *Euſebius* vere atque concinne ſcripſerit, omnino colligi poſſet, Clementi poſteriorem epiſtolam Petrinam, utpote catholicis annumerandam, notam fuiſſe atque uſurpatam. Nec tamen ſequeretur, ei de αὐθενσία epiſtolae perſuaſum fuiſſe, nam 1) nusquam ulla dicta ex ea citavit, quod ſane, ſi eandem illi, quam priori Petrinae (immo et Judae) epiſtolae, auctoritatem tribuiſſet, maxime mirum eſſet, praeſertim quum eius dicta, niſi melius, pariter certe ac dicta epiſtolae Judae, quacum argumento ſuo tantopere conſentit, deſcribendis flagitioſorum hominum moribus accommodare potuiſſet. 2) Auctore ipſo *Euſebio* l. c. Clemens non tantum Judae epiſtolam *reliquasque* catholicas compendioſa enarratione illuſtravit, ſed etiam *Barnabae epiſtolam* et *Petri* ἀποκάλυψιν, quae utraque ſcripta ipſe *Euſebius* in H. E. III, 25 ne ad claſſem quidem τῶν ἀντιλεγομένων retulit, ſed νόθοις annumeravit. Quapropter inde quod ἐν ὑποτυπώσεσι *Clementis* poſterior epiſtola Petrina forte comprehenſa fuerit, αὐθενσίαν eius huic ſcriptori probatam fuiſſe, haud iuſte affirmatur. — Immo *Clementi* cognitam ſaltem fuiſſe Petrinam poſteriorem, vel a probabilitate abhorret. *Caſſiodorus* enim in *divinis lectt.* c. 8 enarrat: *Clementem Alexandrinum* epiſtolam *Petri priorem*, *Joannis primam* et *ſecundam* itemque *Jacobi* (vel potius *Judae* i)) explicaviſſe, ſeque hos com-

i) Jam aliis obſervatum eſt, nomini *Jacobi* ſubſtituendum eſſe *Judae*, nam

commentariolos, exclusis quibusdam offendiculis, in latinum transferri feciſſe, *reliquarum* vero epp. *canonicarum* (i. e. catholicarum) commentarios a *Didymo* graece ſcriptos ſibi, ut omnes epp. catholicas conſociatas haberet, eſſe ab *Epiphanio* in latinum translatos. Inde ſane coniicere licet, commentarios in reliquas epp. catholicas, ergo et in Petrinam poſteriorem, a Clemente *non* eſſe conſcriptos. Nam ſi tales vere exſtitiſſent, vir tantae amplitudinis et auctoritatis, quantae *Caſſiodorum* fuiſſe conſtat, eos procul dubio nancifci ſuumque in uſum vertere potuiſſet. Quas vero epiſtolarum catholicarum *Clemens* commentario haud illuſtravit, eas cognoviſſe credi non poteſt, quum teſte ipſo Euſebio l. c. alia *ανηλεγομενα*, immo *νοθα*, quae apoſtolici auctoris nomine circumferebantur, illuſtrare non dubitaverit *k*). Accedit, ut *Clementi*, ſi quidem Petrinam poſteriorem vere cognoviſſet, ubi dicta ex priori adduxit, e. gr. in *Stromatt.* III, 18. IV, 13. indicandum fuiſſet, exſtare aliam epiſtolam Petrinam, dubiae quamvis auctoritatis; adhibens vero loca prioris epiſtolae, aeque ac *Irenaeus* ſupra memoratus, nude citavit: Πετρος εν τη επιστολη λεγει ſ. φησι. Liquet ergo, multum deeſſe, ut *Euſebium* l. c. VI, 14 caute atque concinne ſcripſiſſe putemus. — Utrum praeter triumviros illos recenſitos etiam *Theophilus Antiochenus*, qui pariter eſt e ſecundo ſeculo, ep. Petrinam poſteriorem legerit, ii ipſi merito dubitant, qui binos locos ex ſecundo Theophili libro *ad Autolycum* cum dictis in ep. Petrina comparaverunt *l*). Alii auctores eccleſiaſtici e ſeculo ſecundo nulli, ergo eccleſiae occidentalis ne unicus quidem, reperiuntur, qui ad *αυθεντιαν* ep. Petrinae vindicandam in ſubſidium vocari poſſint adeoque epiſtola per duo ſecula priora patrum teſtimoniis plane deſtituitur.

Epiſtola *Judae* nomine inſignita meliori fortuna gaudet. Auctoritas *Juſtini Martyris*, *Irenaei* et *Theophili* ei quidem haud magis patro-

nam huiusce epiſtolam a Clemente Alex. agnitam fuiſſe, nullum eſt dubium (v. infra); an vero Jacobi epiſtolam Clemens cognoverit, maxime dubitatur.

k) Non ignoro, vener. KLEUKER in vol. tertio operis inſcripti: „*Ausführliche Unterſuchung der Gründe für die Aechtheit und Glaubwürdigkeit der ſchriftlichen Urkunden des Chriſtenthum's*“ pag. 296. tali concluſioni dubia nonnulla oppoſuiſſe, ſed re ex omnibus ſuis partibus penſitata, non moveor ut aliter ſentiam.

l) J. SCHMIDII hiſt. et vindic. canonis § 263. coll. §§ 122 et 128. — *Pott.* l. c.

patrocinatur, quam Petrinae epiſtolae, namque nullus eorum ad eam provocavit nec ex ſcriptis eorum ullus proferri poteſt locus, qui eos epiſtola Judae uſos fuiſſe proderet. *Polycarpus* quoque vix iuſte inter teſtes huiusce epiſtolae refertur, nam quod SCHMIDIUS *m*) teſtimonium magni momenti appellat, eſt non niſi unica phraſis *n*) οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοθεῖσαν ὑμῖν πίστιν eaque tam ſolennis, ut Polycarpus eam non ex dicto Judae (v. 20.): ὑμεῖς - τῇ ἁγιωτάτῃ ὑμῶν πίστει ἐποικοδομοῦντες ἑαυτούς, ſed potius ex ipſius ingenio ſ. ex communi loquendi uſu religioſo hauſiſſe putandus ſit *o*). *Clementi* contra *Alexandrino* epiſtolam Judae vere innotuiſſe, dubitari nequit; affert enim in *Paedagog.* III. p. 239 (ed. SYLBURG.) verſum epiſtolae quintum, ſextum et undecimum, *Judae* nomine expreſſe memorato, atque in *Stromatt.* III. p. 431. (ed. cit.), ubi de Carpocratianorum haereſibus indeque profectis moribus libidinoſis agit, ſectionem epiſtolae v. 8—16. hoc modo inſigni citat: ἐπὶ τῶν τοιούτων καὶ τῶν ὁμοίων αἱρέσεων προφητικῶς Ἰούδας ἐν τῇ ἐπιστολῇ εἰρηκεναι. Quibus ex verbis vel colligere licet, eum non tantum de αὐθεντία epiſtolae nihil dubitaſſe, ſed etiam auctori eius auctoritatem apoſtoli tribuiſſe *p*). Supereſt quoque *epiſtolae Judae* (ut et prioris Petrinae, ac primae et ſecundae Joannis) brevis *adumbratio* in latinum ſermonem translata;

m) l. c. §. 266 coll. 112.

n) in epiſt. ad Philipp. c. 3.

o) Temperare mihi non poſſum, quin egregiam S. V. KNAPPII (in *Scriptis varii argumenti maximam partem exegetici* p. 503 not.) obſervationem hoc loco opportuno adſcribam: "Erat eo iam tempore (apoſtolico, nedum poſteriori) peculiaris quaedam *dialectus*, quam poſſis *religioſam* appellare, apud Chriſtianos ita uſu recepta, ut omnes, quicunque ad illorum ſocietatem pertinerent, ea tanquam ex compoſito uterentur. Tales ſunt multae voces et formulae loquendi in epiſtolis Pauli atque Jacobi, aeque ut apud Joannem et Petrum, ex quibus colligi non poteſt, alterum hauſiſſe ex ſcriptis alterius." Conferri quoque merentur, quae hac de re ſcite monuit S. V. ZIEGLERUS noſter in libro: *Vollſtändige Einleitung in den Brief an die Hebräer* p. 162. 163.

p) Effata tamen tanquam *vaticinia* Deo auctore prolata absque iuſta cauſa a Clemente ſiſti, quisque intelliget, qui contextum epiſtolae inſpexerit. Agitur enim non de haereticis flagitioſis, qui in poſterum prodituri ſint, ſed qui iam tum temporis prodiiſſent. Verſu quarto legitur: παρεισεδυσαν — οἱ πάλαι προγεγραμμενοι et verſu octavo: σάρκα μιαίνουσι, — ἀθετοῦσι ſeqq.

lata: quae nomen Clementis Alex. in titulo fert, quaeque quin ab isto auctore profecta sit, non dubitandum esse SCHMIDTIUS *q*) contendit. Damus id viro celeb., quamvis *Scaligerus* aliique minores libellos, nomine Clementis inscriptos, non Alexandrini, sed alius Clementis esse suspicati sunt *r*). — Eadem, qua apud Clementem, auctoritate pollebat epistola Judae apud *Tertullianum* quoque, quem vero patrum *latinorum* principem jam *in confiniis* seculi secundi *et* tertii vixisse constat. In libello *de habitu muliebri* c. 3., ubi libro Enochi apocrypho divinam originem vindicare studet, versum 14 et 15 epistolae respiciens, his verbis gravissimis utitur: „Eo accedit, quod *Enoch* apud *Judam apostolum* testimonium possidet." Nonne vero Tertullianus singulari amore libri *Enochi* inductus sit, ut bono et simplici animo acciperet, quaecunque ad eius auctoritatem stabiliendam facere videbantur, in medio erit relinquendum. Praeter duumviros illos nominatos nullus scriptorum ecclesiasticorum, qui secundo seculo annumerantur, Judae epistolam memoravit.

3. Progrediendum est ad auctores *seculi tertii*. Pauci sunt, qui una alterave earum, de quibus agimus, epistolarum, vel vere usi sunt vel certe usi esse videntur. Seiungamus iterum, quicquid de singula epistola dicendum est. Primo testes ep. Petrinae excutiamus.

Origenes (qui usque ad a. 253 vixit) est omnium auctorum ecclesiast. *primus*, cuius in scriptis *posterior ep. Petrina* nominatim est commemorata *s*). In *homilia septima ad librum Josuae*, quae vero non nisi in *Rufini* versione latina superest, de *duabus* Petri epistolis loquitur (verba sunt: „Petrus etiam *duabus epistolarum suarum personat tubis*" *t*) —) ideoque, nullo inter utrasque Petrinas epp. discrimine facto, *auθen-*

q) *Historisch-krit. Einleit. in's N. T.* § 142 not. a.

r) Mihi quidem a probabilitate non abhorrere videtur sententia *Joannis Fell*, Angli, qui primus *adumbrationes* illas in appendice ad *Orationem Clementis περι ϑυ, τις ὁ σωζομενος πλουσιος* (Oxonii 1683. 12.) edidit. Autumat, eas esse commentariolos illos, quos *Cassiodorus* (vid. supra p. 6 et 7.) e graeco idiomate transferri fecit; dicit: par est credere, Cassiodorum, qui *περιπλεκτα contextorem* vertit, *ὑποτυπωσεις adumbrationes* reddidisse.

s) Pariter etiam a nullo scriptore prius quam ab Origine *Jacobi* epistolam nominatam esse constat.

t) *Orig.* Opp. ed. studio *De la Rue*, Tom. 2. pag. 412.

αυθεντιαν posterioris aeque ac prioris confirmare videtur. Sunt tamen critici, qui illo dicto parum vel nihil probari arbitrentur, quoniam suspicandum sit, sensum Origenis saepius ab interprete latino esse adulteratum. Verum in contextu verborum nullum adulterationis vestigium deprehenditur; sensus potius a Rufino expressus contextae orationi bene congruit eoque firmatur, quod alio loco, ubi pariter nulla adulterationis subest suspicio, verba posterioris Petrinae epistolae ita citantur, ut Origenes huiusce αυθεντιαν et auctoritatem agnovisse videatur. Nimirum *homilia IV in Levitic. v)*, postquam aliquot loca Pauli atque Joannis allata sunt, pergitur: „Et iterum *Petrus* dicit: *Consortes*, inquit, *facti estis divinae naturae* (2 Petr. I, 4.), quod est socii." Cedo tamen, dubitari *posse*, an Origeni ipsi de αυθεντια epistolae vere persuasum fuerit; fortasse enim tantummodo in populari oratione, qualis homilia putanda, ad communem sententiam et usum sese accommodando, illam epistolam utpote ab apostolo profectam adhibuit. Certe non quovis tempore in iudicanda αυθεντια epistolae sibi constitisse existimandus est; nonnunquam enim, e. gr. loco quodam *comment. in Joannem x)* de *prima* ep. tanquam unica loquitur: περι της εν Φυλακη πορειας μετα πνευματος παρα τω Πετρω εν τη καθολικη επιστολη· θανατωθεις γαρ, φησι, (1 Petri III, 18—20.) ταρκι etc. Nec praetermittenda sunt verba ex deperdito eius libro quinto *explanationum in Joan. Evang.* ab *Eusebio* excerpta in Hist. E. VI, 25: Πετρος — μιαν επιστολην ομολογουμενην κατελελοιπεν· εστω δε και δευτεραν· αμφιβαλλεται γαρ. Quibus ingenue profitetur, esse nonnullos, qui epistolae γνησιοτητα in dubium vocarent.

Ex horum numero vero non fuit *Firmilianus*, episcopus Caesareensis Cappadocum, Origeni aequalis *y)*. Scripsit in epistola ad *Cyprianum*, Car-

v) ed. cit. T. 2, p. 200.

x) ed. cit. T. 4, p. 135.

y) Auctor libri inscripti: *Versuch einer Beleuchtung der Geschichte des süd. und christl. Bibelkanons* Vol. 2. (Hal. 1792.) pag. 280. lapsu memoriae vel calami scripsit; „*Firmilian* — der in der Mitte des *vierten* Jahrhundert's florirt hat." Floruit potius una cum *Origene* et *Cypriano* circa medium sec. tertii. B. SCHMIDIUS, POTTIUS, J. E. C. SCHMIDTIVS (l. l. supra citt.) aliique testimonium *Firmiliani* plane neglexerunt.

Carthaginienſium epiſcopum z): „Stephanus — etiam infamans *Petrum* et *Paulum*, beatos *apoſtolos* —, qui *in epiſtolis ſuis* haereticos execrati ſunt et ut eos evitemus monuerunt.“ His verbis non priorem Petri epiſtolam, ſed poſteriorem ſolummodo reſpici, inde apparet, quod de haereticis deteſtandis in illa ne verbum quidem, in hac quam multa dicta ſunt. Quum vero *Firmilianus* ſimpliciter Petrum et Paulum, apoſtolos copulaverit ut in eadem re conſentientes, ſane colligendum eſt, γνησιοτητα epiſtolae poſterioris ab eo non eſſe dubitatam. Oppoſuerunt quidem, epiſtolam Firmiliani graece ſcriptam fuiſſe adeoque an Firmiliani ſententia in verſione latina, quae nobis ſola reſtet, vere reddita ſit, pro incerto eſſe habendum. At vero non ſatis perſuaſum mihi eſt, Firmilianum graeco idiomate ſcripſiſſe, namque ad Cypriani Carthaginienſis literas latine ſcriptas reſponſurus, quidni ipſe quoque lingua latina uſus eſſet? Accipiamus tamen, eum graece ſcripſiſſe, num ullo modo probari poteſt, ſenſum auctoris ab interprete eſſe depravatum? Contextus tali ſuſpicioni minime favet. — Pariter nullam vim habet, quod *Lardnerus* (l. c.) oppoſuit, monendo, ab ipſo *Cypriano* γνησιοτητα ep. poſterioris Petrinae non agnitam *videri*. Quid enim? Inde quod epiſtolae nulla mentio fit in ſcriptis Cypriani, minime concludere licet, hunc illam ut ſpuriam reieciſſe. Immo vir eruditus (ex congregatione S. Mauri), qui *Baluzii* editionem Operum *Cypriani* abſolvit, in praemiſſa huius ſcriptoris vita pag. CXVIII epiſtolam Firmiliani ab ipſo Cypriano, cuius ſtilum redoleat, latine redditam eſſe opinatur. Quae coniectura ſi vera eſſet, Cyprianus ipſe teſtem potius, quam adverſarium epiſtolae ageret. Fac vero reiecerit, num propterea amicus eius, *Firmilianus* quoque epiſtolam reieciſſe putandus eſt?

Praeter Originem nonnulli *Hippolytum* quoque, qui eius amicus et Irenaei diſcipulus fuiſſe dicitur, teſtem epiſtolae Petrinae perhibuere, quoniam in *Demonſtr. de Chriſto et Antichriſto* c. 2. zz), ubi haec habet: „ου γαρ (οι προφηται) εξ ιδιας δυναμεως εφθεγγοντο, — ουδε αυτοι εβουλοντο, ταυτα εκηρυττον, αλλα πρωτον μεν δια τε λογε

z) Exſtat epiſtola inter *Cypriani epp.* numero LXXV inſignita in ed. BALUZII Pariſ. 1726. fol. In b. MORI praelectt. in Jacobi et Petri epiſtolas a DONATO editis p. 257, ubi de hoc teſtimonio agitur, non ut *Firmilieni*, ſed parum accurate ut *Cypriani* epiſtola recenſetur.

zz) pag. 5. ed. Operum Hipp. Fabricianae.

λογω εσοφιζοντο ορθως, επειτα δ' ἑρμαιων προεδιδασκοντο τα μελλοντα καλως· ειθ' ὑτω πεπεισμενοι ελεγον ταυτα, ἁπερ αυτοις ην μονοις απο τυ θευ αποκεκρυμμενα" ſpectaverit dictum Petrinum (2 ep. I, 21): „ου γαρ θεληματι ανθρωπυ ηνεχθη ποτε προφητεια, αλλ' ὑπο πνευματος ἁγιυ φερομενοι ελαλησαν ἁγιοι θευ ανθρωποι." Miram ſimilitudinem inter utrumque locum intercedere, nemo diffitebitur; ſed quominus *Hippolyti* ſententiam ex ep. Petrina originem duxiſſe putemus, impedit, quod apud Philonem eadem ſententia ex placitis Platonicis, quibus Hippolytus quoque imbutus eſſe videtur, forſan derivanda occurrit *a*) vixque *Hippolytus*, ſi dictum Petrinum cognoviſſet et apoſtoli eſſe credidiſſet, ad ſententiam ſuam firmandam hunc nominatim allegare neglexiſſet.

Haud certiori iure Hippolyti aequalem, *Methodium*, inter teſtes ep. Petrinae retulerunt, provocando ad dictum, quod *Epiphanius* in Haereſ. LXIV, 31. *b*) inter alia ex illo excerpta hoc modo profert: εκπυρωθησεται — προς καθαρσιν και ανακαινισμον καταβας, ἁπας ὁ κοσμος καταχλυζομενος πυρι. Omnino conferri meretur hoc dictum cum loco 2 ep. Petr. III, 6. 7; immo aliud quoque dictum Methodii non multo ſpatio interpoſito *c*) obvium: αναγκη — και την γην αυθις και τον ὑρανον μετα την εκπλογωσιν εσεσθαι παντων και τον βερασμον, licet a criticis ſilentio transmiſſum, dignum eſt quod comparetur cum loco 2 Petri III, 12 et 13. At Methodium μυθον, quem exornavit, ex ep. Petrina hauſiſſe eiusque verſus citatos imitando expreſſiſſe, minime contenderim, namque ſi Petr. epiſtolam inſpexiſſet, non dubito quin ad eam provocaſſet, ſicut in illa materie illuſtranda alia utriusque ſacri codicis dicta largiter congeſſit. Eſt ſane ille μυθος ex antiquiori fonte derivandus. Videſis infra *ſectionem tertiam* non multum ab initio.

Adhuc *ſcriptorem anonymum* commemorare iuvat, cuius teſtimonium magni ponderis eſſet, ſi eum ſec. tertio vixiſſe, ſatis conſtaret. In libello nempe *de ſingularitate clericorum*, qui inter opuſcula *Cypriano* vulgo adſcripta exſtat, pag. CLXXXIV. ed. Baluzii, ubi auctor de hominibus inſano deſiderio feminarum flagrantibus loquitur, dictum 2 Petr. II, 13. 14. ita

a) Cf. *Chreſtomath.* mea *Philon.* p. 212 et 213.
b) pag. 553. Tomi I. ed. Colon. a. 1682. fol.
c) ed. cit. pag. 555.

ita uſurpatum legimus: „Quos *ſanctus Petrus Apoſtolus* deſignavit, dicens: *In conviviis ſuis luxuriantes oculos habentes plenos moechationibus et inceſſabilibus delictis, capientes animas infirmas*,“ Patet, huic auctori epiſtolam tanquam γνησιαν probatam fuiſſe. At vero aetas ſcriptoris definiri nequit. Nec *Cyprianum*, neque *Originem*, neque *Auguſtinum* libellum confeciſſe ex ſtyli ratione aliisque cauſis elucet. Editor Oxonienſis ſcriptorem demum temporibus *Bedae* (ergo ſec. 7mo ſ. octavo) floruiſſe arbitratus eſt, at refutatur a noviſſimo Operum Cypriani editore ſupra laudato, qui eum ſec. tertio ſeu ſub initio ſec. quarti vixiſſe cenſet. Sed res incerta vix usquam erit diiudicanda.

Tanquam *teſtes epiſtolae Judae* ſcriptorum *ſeculi tertii* non niſi duo tresve examinandi ſunt. Prior dignus qui conferatur, eſt omnino *Origenes*. Si ſolummodo recenſionem librorum utriusque codicis ſacri ab *Euſebio* in H. E. VI, 25 e variis librorum *Origen.* locis conquiſitam ſpectemus, e numero teſtium epiſtolae Judae eximendus videri poſſet; ibi enim huiusce (ut et Jacobi) epiſtolae nulla mentio fit, verum omiſſionis ſane non eſt Origenes, ſed Euſebius tantum accuſandus. Origenes enim in *comment. ad Matth.* XIII, 55 *d*) luculentiſſimum de epiſtola Judae exhibuit teſtimonium: Ιουδας εγραψεν επιστολην, ολιγοστιχον μεν, πεπληρωμενην δε των της καινης χαριτος ρημασιν λογων ſimulque ſignificat, hunc Judam eſſe eundem, qui Matthaeo l. c. inter αδελφους Ιησου commemoratur. Refert etiam in *hom.* VII *in Joſ. e*) expreſſe Judam, epiſtolae ſcriptorem, inter apoſtolos et N. T. auctores atque in *comm. in ep. ad Rom. f*) verſum ſextum epiſtolae hoc modo excitat: „Judas apoſtolus in epiſtola *catholica* dicit.“ Eſt quoque dignus memoratu locus in l. III. περι αρχων c. 2 *ff*), ubi e libro (apocrypho) „*Aſcenſio Moyſis*,“

d) *Orig.* Opp. ed. *De la Rue* Tom. III, p. 463.
e) ed. cit. Tom. II, p. 412.
f) ed. cit. Tom. IV, p. 549.
ff) ed. cit. Tom. I, p. 138. Caput cit. exſtat non niſi in latina *Rufini* verſione et locus, qui huc ſpectat, eſt hicce: „Videndum nunc eſt *ſecundum ſcripturas*, quo modo contrariae virtutes vel ipſe diabolus reluctantur humano generi cet. — Et primo quidem in *Geneſi Serpens* Evam ſeduxiſſe deſcribitur: *de quo* in *Aſcenſione Moyſis*, cuius libelli meminit in *epiſtola* ſua *apoſtolus Judas*, Michael archangelus cum diabolo diſputans de corpore Moyſis, ait a diabolo inſpiratum ſerpentem cauſam

Moyſis" (Ἀναλήψις Μώσεως) inſcripto Judam v. 9 hauſiſſe putat. Nec tamen video, quod nonnulli recentiores (e. gr. ven. HAENLEIN *g*)) ex loco *Origenis* modo citato collegerunt, eum oraculis divinis annumeraſſe librum illum apocryphum, quoniam Judam apoſtolum eo uſum fuiſſe crediderit. Librum *Geneſeos*, et qui mox allegantur, libros *Exodi*, *Levit.* cet. Origines ad ſacras ſcripturas omnino refert; num quoque librum „*Aſcenſio Moyſi*" ad eas retulerit, ex verbis eius minime liquet. (Quin a probabilitate abhorret, quum *contra Celſum* V, 54 *h*) *Enochi* libros apocryphos, quos in *Judae* epiſtola concinnanda (v. 14. 15.) accommodatos fuiſſe, dubitari nequit, inter ſcripturas divinas computari nolit.) Reputanti vero dicta Origenis hucusque propoſita mirari licet, eum in *comment. ad Matth.* XXII, 23 *i*), ubi verſum ſextum epiſtolae citavit, haec verba adieciſſe: *ει δε και την Ιουδα προφοιτο τις επιστολην, ὁρατω τι ἑπεται τῳ λογῳ.* Patet, Origenem ipſum Judae epiſtolam omnino *γνησιαν* agnoviſſe eamque talem in argumentando adhibuiſſe, aliorum vero diſſenſum nec ignoraviſſe, nec aegre tuliſſe.

Pamphilus, qui Originem ſtudioſe ſectabatur, ut ſingularis teſtis epiſtolae *Judae* iuſte recenſeri nequit. Nonnulli quidem *k*) locum ex eius *apologia pro Origine l*) eruerunt, ubi verſus ſextus epiſtolae Judae expreſſus eſſe videtur, ſed locus eſt e quodam tractatu ipſius Origenis et a Pamphilo tantum tranſcriptus.

Res amplioris indaginis eſt, an auctor *tractatus ad Novatianum haereticum m*) teſtibus epiſtolae *Judae* annumerandus ſit. Locum ſimilem ei, qui ex libro *Enochi* intertextus eſt epiſtolae Judae (v. 14. et 15), his

cauſam exſtitiſſe praevaricationis Adae et Evae." — *Ruſinum* interpretem h. l. ſenſum Origenis vel mutando vel addendo adulteraſſe, non eſt ut ſuspicemur.

g) in libro: „*Epiſtola Judae gr. comm. crit. illuſtr.*" p. 78.

h) ed. cit. Tom. I, p. 619. Cf. quoque *Orig. comment. in Joann.* ed. cit. Tom. IV, p. 142.

i) ed. cit. Tom. III, p. 814.

k) b. SCHMID. in hiſtoria antiqua et vindic. canonis §. 266 coll. §. 141.

l) inter Opp. Origenis ed. cit. Tom. IV, p. 23.

m) Typis deſcriptus eſt in edd. Opp. *Cypriani* e. gr. in BALUZII editione, ubi legitur, inter adiecta opuſcula incertorum auctorum p. VII-XVIII. Auctorem non ipſum Cyprianum, ſed Cypriani aequalem fuiſſe, eſt ſatis notum. Cf. Vita Cypriani ed. citatae praemiſſa pag. CXXVII.

his verbis adduxit *n*): „Sicut ſcriptum eſt: „„*Ecce venit cum multis millibus nunciorum ſuorum, facere iudicium, de omnibus et perdere omnes impios* et arguere omnem carnem *de omnibus factis impiorum, quae fecerunt impie et de omnibus verbis impiis, quae de Deo locuti ſunt peccatores.*““ Quo ex allegato perſpicuum eſſe, nonnulli iudicarunt auctorem epiſtola Judae uſum fuiſſe. At eodem iure ex mea quidem ſententia contendi poſſet: Petrinam quoque epiſtolam poſteriorem ab illo auctore uſurpatam eſſe, quod miror huc usque nullum criticorum animadverſiſſe. Quid enim? In pag. X illius tractatus leguntur verba: „*Cataclysmus* ergo ille, *qui ſub Noë factus eſt*, figuram perſecutionis, quae per totum orbem nunc nuper effuſa, oſtendit;“ quorum priora ex dicto Petrino II, 5 ογδοον Νωε δικαιοσυνης κηρυκα εφυλαξε, καταακλυσμον κοσμω ασεβων επαξας videri poſſunt petita. Sicuti vero hanc ſimilitudinem fortuito enaſci potuiſſe, lubens largior, ita etiam prior illa alio modo, quam quo ſolet, derivari poteſt. Forte enim auctor ignotus, qui tractatum conſcripſit, dictum: „*Ecce venit* ſeqq.“ non ex epiſtola Judae, ſed ex ipſo libro *Enochi* apocrypho, qui compluribus patribus eccleſiaſticis probe notus erat *o*), aſſumſit *p*). Quae conjectura tanto probabilior eſt, quum dictum ab auctore illo enunciatum (vid. ſupra) in eo, quo a textu graeco in epiſtola Judae (v. 15) diſcedit, cum exemplari aethiopico inter Abeſſynios reperto conſentiat. Locus enim huc referendus ex aethiopico exemplari ab ill. *de Sacy* *) ita latine redditus eſt: „*Et venit cum myriadibus ſanctorum, ut faciat iudicium ſuper eos et perdat impios* et litiget cum omnibus carnalibus *pro omnibus, quae fecerunt*“ cet. Certe his expoſitis elucebit, auctorem tractatus illius inter teſtes epiſtolae Judae non niſi dubie referri poſſe. — Hoc loco opportuno etiam monendum erit, *Firmilianum*, cuius teſtimonium pro poſteriori ep. Petrina ſupra p. 15 et 16 vindicavi, veriſimiliter Judae epiſtolam vel plane ignoraſſe vel tan-

n) p. XVII. l. c. ed. BALUZII.

o) Vid. quae in locis *Tertulliani* et *Origenis* ſupra pag. 9 et 14 allatis huc ſpectant, aut ſi omnia ex vetuſtis auctoribus ad rem pertinentia conferre iuvat, *Grabium* in notis ad *ſpecilegium patrum* T. I. p. 344 ſeqq. et *Fabricium* in *codice pſeudepigr.* V. T. Tom. I. p. 160 ſeqq.

p) Cf. librum ſupra iam cit. *Verſuch einer Beleuchtung* cet. Vol. 2 p. 202.

*) in libello francogallico: *Notice du livre d'Enoch* (edito 1800) p. 17. et in vener. RINKII verſione theotiſca eruditis annotationibus aucta („*Nachricht das Buch Henoch betreffend, nach dem Franzöſiſchen bearbeitet* cet. Königsberg 1801.“) pag. 37.

tanquam ſpuriam reieciſſe, quum in epiſtola ad amicum *Cyprianum* loco ſupra memorato „beatos *apoſtolos*, qui in epiſtolis ſuis haereticos execrati ſunt et ut eos eviteinus monuerunt“ ſolum *Petrum* et *Paulum*, haud vero *Judam* nominaverit.

Euſebius, qui exeunte ſeculo tertio et per dimidiam quarti partem floruit, non quid ipſe de αυθεντια epiſtolarum Petrinae poſterioris atque Judae iudicaret, ſed quam auctoritatem in publice conſecutae eſſent, (παραδοσιν εκκλησιαστικην) expoſuit. Bina apud eum reperiuntur loca, quibus de ſingula, et unus, ubi de utraque epiſtola coniunctim diſſerit. De Petrina poſteriori (ut et priori, quae nos vero h. l. nihil moratur) in H. E. III, 3 init. haecce leguntur: Πετρε μεν ουν επιστολη μια ἡ λεγομενη αυτε προτερα, ανωμολογηται. ταυτη δε και οἱ παλαι πρεσβυτεροι ὡς αναμφιλεκτῳ εν τοις σφων αυτων κατακεχρηνται συγγραμμασι. την δε φερομενην αυτε δευτεραν, ουκ ενδιαθηκον μεν ειναι παρειληφαμεν. q) ὁμως δε πολλοις χρησιμος φανεισα, μετα των αλλων εσπυδασθη γραφαι. In H. E. II, 23 extr. vero, ubi de Jacobo atque epiſtola eius ſuperſtite agit, ſimul de Judae ep. haecce memoriae prodidit: ὑ πολλοι - των παλαιων - εμνημονευσαν - της λεγομενης Ιυδα, μιας και αυτης ουσης των επτα λεγομενων καθολικων. ὁμως δε ισμεν και ταυτας (ſcil. Jacobi et Judae epp.) μετα των λοιπων εν πλειοσαις δε δημοσιευμενας εκκλησιαις. Loco autem primario, H. E. III, 25, ubi omnes N. T. libros veros, ut et ſuppoſititios ſummatim recenſet, utrasque epiſtolas una cum Jacobi una et Joannis altera et tertia retulit ad claſſem των αντιλεγομενων, γνωριμων δ' ὑν ὁμως τοις πολλοις i. e. eorum ſcriptorum, quae a nonnullis (maxime antiquioribus) in dubium vocata, a multis tamen (tanquam γνησια) commemorata ſint r). Apparet, alteram alteri minime praeferri, ſed utrique dari locum eundem ſecundarium inter libros ενδιαθηκους.

4.

q) „Quae *ſecunda* Petri epiſtola appellatur, eam inter ſacros N. T. libros a maioribus non eſſe cenſitam accepimus.“

r) Dubitari conſtat, an EUSEBIUS librorum, qui vel vere vel temere ſ. fraudulenter apoſtolici dicebantur, tres aut quatuor claſſes conſtituerit, C. CHR. FLATT, vir ven., ſententiam, quam b. STORRIUS praeivit,

ta

4. In *seculo quarto* plurimi scriptorum ecclesiasticorum, quod ex dictis *Eusebii* modo allatis, etiamsi ipsa testimonia non exstarent, suspicari possis, utraque epistola usi sunt earumque γνησιοτητα agnoverunt. Nonnulli tamen adhuc memores fuere dubitationis ab antiquioribus iniectae; pauci aliquot vel ipsi unam aut alteram reprobasse videntur. Tanquam *testes utriusque epistolae* prodiere cum orientalis tum occidentalis ecclesiae pa-

τα ἀντιλεγομενα et τα νοθα unam eandemque classem conficere, uberius illustrare ac firmare studuit in I. F. FLATT *Magazin für christl. Dogmatik und Moral*, fascic. septim. Tub. 1801, p. 231 seqq. Res est maxime nodosa, quum ipse Eusebius notiones ea, qua par erat, ακριβεια non distinxerit. Quivis intelligit, quaecunque scripta νοθα putantur, ea etiam esse ἀντιλεγομενα, atque pariter scripta, quorum αυθεντια impugnatur (ἀντιλεγομενα), ils qui impugnant, νοθα existimari. Qua de causa fieri potuit, ut voces ἀντιλεγομενα et νοθα interdum promiscue usurparentur. Eusebius tamen l. c. quinque epistolas catholicas, quas ἀντιλεγομενας dixit, sane tales habuit (cfr. loca eius in H. E. II, 23 et III, 3 supra in textu allata), quae licet a nonnullis in suspicionem νοθειας vocarentur, a multis tamen genuinae putarentur atque in plurimis ecclesiis id auctoritatis consecutae essent, ut instar των ὁμολογουμενων (quae tanquam germana ab omnibus sine ulla controversia admittebantur) publice recitarentur atque τοις ενδιαθηκοις annumerarentur. Libros contra, quos l. c. νοθους appellat, tales intellexisse videtur, qui tantam auctoritatem minime nacti erant, quoniam vel a pluribus scriptoribus antiquis, ut argumento suo apostolis indigni reiecti (e. gr. Actus Pauli et Revelatio Petri) vel ab apostolo, etsi (ut *Hermae* Pastor) argumento suo frugiferi credebantur, revera non scripti erant aut certe maxime dubitabantur. Digni sunt, ut conferantur, qui recentiori aetate locum Eusebii illustrare conati sunt, licet in varias partes discedant, cl. WEBER (in libro: *Beiträge zur Geschichte des neutestamentl. Kanon's* pag. 142 sq) et qui huiusce commentationem recensuit, b. DOEDERLINUS (in libro menstruo: *Theolog. Journal* Vol. 1 fasc. 1 p. 74), deinde cl. I. E. CHR. SCHMIDT (in *Magazin für Religionsphilosophie* cet. Vol. 5. fasc. 3. p. 451 sqq.) et ven. MUENSCHER (*Handbuch der christl. Dogmengesch.* Vol. 1 § 54. 55 p. 319 sq. ed. secundae).

patres, *Athanaſius* s), auctor συνοψεως επιτομε της θειας γραφης forte ab Athanaſio diſtinguendus t), *Cyrillus Hieroſ.* v), *Ephraemus Syrus* x), *Gregorius Nazianz.*, *Epiphanius*, *Ambroſius*, *Philaſtrius*, *Ruſinus*, *Auguſtinus*. *Hieronymus* quoque auctoritatem et ανθεντιαν utriusque epiſtolae ſatis luculenter approbavit. Plura in operibus eius exſtant loca, quibus pro teſtimonio utaris y). Duo eorum tranſcribi merentur, quod ibi mentio ſit rationis, qua alii commoti epiſtolas abiudicaverant apoſtolis, quorum ſub nomine erant receptae. In *catalogo ſcriptor. eccleſ.* v. *Sim. Petrus* ait. „*Simon Petrus* ſcripſit *duas epiſtolas*, quae *catholicae* nominantur, quarum *ſecunda a plerisque eius eſſe negatur propter ſtili eum priore diſſonantiam*“ z). Et ibidem v. *Judas* ſcripſit: „*Judas* frater Jacobi, *parvam* quidem, *quae de ſeptem catholicis eſt*, *epiſtolam reliquit*. Et quia de libro *Enoch*, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, *a plerisque reiicitur*; tamen auctoritatem vetuſtate iam et uſu meruit, ut inter ſanctas ſcripturas computetur.“ Concordant iſta oppido cum iis, quae *Euſebius* ll. cc. retulit.

Sunt

s) in *epiſt. εορταστικη ad Ruſinum* — in ed. Opp. Colon. Tom. II, p. 39, nec non in Tom. I, p. 200 et 322.

t) in ed. Opp. Athanaſii citata Tom. II, p. 59 et 60.

v) Catech. IV, 36.

x) in plurimis locis tam ſyr. quam graecor. Opp. Locus primarius eſt in Tomo 3tio Opp. graecorum p. 60-63, ubi *Ephraemus* de hominibus libidine abreptis agens, ex poſteriori ep. Petri, quem μακαριον αποστολον dicit, ſectionem longiorem c. II, 9 22, epiſtolam Judae vero, qui ei ετερος μαθητης appellatur, totam inſeruit. — Ceterorum patrum loca non opus erit, ut allegentur. Notata ſunt a *Millio* in Prolegg. ad N. T. p. 25, *Lardnero*, *Schmidio*, aliis.

y) *Hieron.* epiſt. ſept. ad Paullinum (Opp. T. IV. P. 2. pag 571 ſq.); adverſ. Jovin. I, 24; comment. in Eſaj. c. 51 et c. 63; comment. ad Ezech. 18, et in ep. ad Titum c. 1.

z) In *ep. ad Hedibiam* Quaeſt. 2 Hieronymus idem argumentum profert, de utraque ep. Petr. dicens: *ſtylo inter ſe et charactere discrepant*, *ſtructuraque verborum*,“ ſed vim dicti ſtatim ipſe labefactare ſtudet addendo: *ex quo intelligimus pro neceſſitate rerum diverſis eum uſum interpretibus*. Qua auctoritate uti potuiſſet nuper vener. BOLTEN in tomo tertio eruditiſſimi operis („Die neuteſtamentl. Briefe“ cet. Altonae 1805.) Vid. eius praefamen (*Vorbericht*) pag. XXII.

Sunt praeterea aliqui ſeculi quarti auctores haud praetermittendi, qui in ſcriptis ſuis ſuperſtitibus non pro utraque epiſtola, ſed tantum *pro una alterave* teſtimonium exhibent. Primum nomino *Caeſarium*, Gregorii Nazianzeni fratrem, hucusque nulli criticorum inter teſtes *Petrinae poſterioris* memoratum. In Dialogo primo tribus locis *a*) dicta 2 Petri III, 7 et 10 attulit, ſimul *Petrum* honorifice κλειδοχον της βασιλειας των ουρανων ac τε θειε κορυφαιον appellans. *Baſilium Magnum*, *Macarium M.*, *Chryſoſtomum* et *ſcriptorem anonymum dialogi de orthodoxa fide*; fortaſſis *Lactantium b*) quoque loca ep. *Petrinae* in uſum ſuum vertiſſe, iam ab aliis obſervatum video. Eos vero *epiſtolam Judae*, vel ignoraſſe vel ut adulterinam reieciſſe, inde quod nullibi eam accommodaverint, iure certo colligi non poteſt. Haud negaverim, eam ſolummodo propter brevitatem argumentique exilitatem ab illis ſcriptoribus eſſe neglectam. *Lucifer Calaritanus* contra in libello *de non conveniendo cum haereticis* proxime a fine *c*) ex epiſtola *Judae*, quem *glorioſum apoſtolum*, *fratrem Jacobi apoſtoli* appellat, complures verſus (1-8. 11-13. et 17-19) latine redditos adhibuit atque omnino ſubit mirari, quod ex ep. *Petrina* poſteriori, qua eadem res pertractatur, nulla dicta adduxerit; vix tamen licet, eum idcirco adverſariis ep. Petrinae annumerare.

Aeque ambiguum eſt, an *Didymus*, catecheta Alexandrinus, circa medium ſeculum quartum florens, teſtimonium contra αυθεντιαν epiſtolae *Petrinae* perhibuiſſe putandus ſit. Scripſit graece commentarium in ſeptem epp. catholicas, cuius verſio latina ab *Epiphanio Scholaſtico*, ſec. quinti ſcriptore, confecta ſupereſt. Ei epiſtolam *Judae* γνησιαν viſam fuiſſe, dubitari nequit. In explicando enim verſu nono, ubi de natura diaboli ſermocinatur, haecce profert *d*): „adverſarii huius contemplationis *praeſcribunt* (i. e. repugnant) *praeſenti epiſtolae* et *Moyſeos aſſumtioni* propter eum locum, ubi ſignificatur verbum Archangeli de corpore Moyſeos ad diabolum factum.“ Patet; Didymum ſeſe adverſariis epiſtolae Judae

a) Vid. GALLANDII Biblioth. patrum Tom. VI, p. 36 et p. 42.
b) B. SCHMIDIUS l. c. §. 266 coll. §. 148 etiam dictum *Lactantii* affert, quod ex *Judae* verſu 3 manaſſe putat, ſed ſimilitudo locorum eſt leviſſima.
c) in GALLANDII Biblioth. patrum T. VI, p. 219.
d) in GALL. B. patr. T. VI. p. 307.

dae non adiunxisse. Omnino cognovit Petrinam quoque epistolam, namque commentatus est eam atque in enarratione ep. Judae *e*) usurpavit dictum 2 Petri II, 21. Sed inde nondum liquet, quid de auctore et auctoritate epistolae iudicaverit. In fine commentarioli offendunt haec verba *f*): „Non est igitur ignorandum, praesentem *epistolam* esse *falsatam*, quae licet publicetur, *non tamen in canone est.*" Quaeritur, quo sensu h. l. vox „*falsatam*" sumenda sit. E contextus ratione coniicere posses, eam συνανωμον esse τω *interpolatam;* videtur enim Didymus una cum aliis doctoribus christianis doctrinam de rebus creatis igne perituris (2 Petri III, 7. 10.) ethnicae traditionis ideoque apostolo indignam eique non nisi obtrusam habuisse. E suspicione interpolationis vero minime sequeretur, eum totam epistolam ut spuriam reiecisse. Nonnulli *g*) ad *Dufresnii* glossarium mediae et infimae latinitatis provocantes per *falsatam esse* nihil aliud indicari volunt, quam quod *Eusebius* per νοθευεται aut αντιλεγεται expressit, ita ut sensus sit: *epistolam a nonnullis falsam esse declaratam.* Quo sensu adoptato non magis contendi potest, ipsi Didymo γνησιοτητα epistolae dubiam fuisse. Alii *h*) coniecerunt, verba illa, quum in fine commentarii scripta reperiantur, ab aliena manu esse adiecta. Equidem opinor, Didymi commentarium in ep. Petr. posteriorem non totum, sed breviatum tantummodo ad nos pervenisse — cui opinioni, qui brevem illum cum eiusdem auctoris commentariis multo amplioribus in ceteras epp. catholicas e. gr. Judae contulerint, non facile refragaturos esse credo — adeoque connexum sensumque dicti: „Non est *igitur* ignorandum, praesentem epist. esse *falsatam*" cet. certo definiri non posse. Liquet vero ex ultimis verbis: „licet publicetur, *non tamen in canone est,*" si sint ipsius *Didymi*, epistolam medio seculo quarto, vel si ab auctore posteriori, forte ab interprete latino, *Epiphanio* addita sint, posteriori quoque aetate nondum ubivis in canonem fuisse receptam, quamvis *Athanasium*, qui eodem fere tempore, quo *Didymus*, in ecclesia Alexandrina cla-

e) ibidem p. 308.
f) ibidem p. 294.
g) WOLFIUS in *Curis* IV, p. 175. POTTIUS in laud. Prolegg. p. 161 et HAENLEIN Handbuch der Einleitung in die Schriften des N. T. Vol. I, p. 195 ed. 2dae
h) e. gr. rever. NIETSCHE in libello, cui titulum fecit: „Epistola Petri posterior auctori suo inprimis contra Grotium vindicata." (Lipsi. 1785. 8.) p. 11.

clarus erat, nec non *canonem*, qui dicitur *concilii Laodic.* LIXnum *i*) septem epistolas ad την καθολικην διαθηκην retuliſſe conſtet. Immo quum in commentariolo nuspiam Petrus apoſtolus, ſemel vero *k*)*conſcriptor epiſtolae* memoretur, omnino ſuſpicari poſſes, ipſi *Didymo* de αυθεντια epiſtolae non perſuaſum fuiſſe, niſi reputandum eſſet, nos non graecum Didymi textum legere, ſed latinam *Epiphanii Scholaſtici* verſionem.

Auctor denique *Jamborum ad Seleucum*, qui verisimiliter ſcriptoribus ſeculi quarti annumerandus eſt *l*), (v. 310—315.) in interrexto indice librorum V. et N. T. duplicem ſententiam ex variis patrum antiquiorum ſcriptis facile hauriendam enarravit, qua alii *tres* epp. catholicas, alii *ſeptem* (ergo et Petrinam poſteriorem et Judae) acceperunt.

Quod reliquum eſt, unus patrum ſeculi quarti, *Severianus*, Gabalae epiſcopus, Chryſoſtomi aequalis, dicitur *m*) univerſas epiſtolas catholicas repudiaſſe. At vero iudicium unius alteriusve viri eccleſiaſtici dubitandi quaſi lubidini indulgentis nihil refert. Forte *Severianus* familiae Marcionitarum, qui nullas niſi Paulinas epp. receperunt, ſeſe adiungere voluit.

Age iamiam omnibus, quae ad teſtimonia auctorum e quatuor ſeculis prioribus pertineant, accuratiori trutina examinatis, *potiora* comprehendamus, quae inde enaſcuntur.

1) *Epiſtola Petrina poſterior* apud ſcriptores *primi et ſecundi ſeculi* nullum certum teſtimonium habet, nullibi memoratur. *Epiſtola Judae* contra iam ſeculo ſecundo a *Clemente Alexandr.*, graecae eccleſiae ſcriptore, atque *Tertulliano*, patre latino, genuina agnita eſt.

2) *Seculo tertio* epiſtola *Petrina Origini*, celebri eccleſiae Alexandrinae doctori, iam ſatis nota et publice uſurpata fuit; eius vero αυθεντια dubi-

i) Cf. WOLFII Curae IV, p. 175. 176.
k) GABL. Bibl. patr. T. VI, p. cit. 294.
l) Notum eſt, hos iambos ab aliis *Amphilochio*, Iconiae epiſcopo, qui exeunte ſeculo quarto vita deceſſit, ab aliis vero *Gregorio Nazianzeno* ſupra p. 18 memorato attribui, unde etiam in utriusque ſcriptoris operibus exhibiti ſunt, (e. gr. in *Franc. Combefis* edit. Operum *Amphilochii*, *Methodii* et Andr. Cret. p. 116 ſqq et in *Gallandi* Bibl. P. Tom. VI, p. 490 ſqq. inter *Amphilochii* Opera itemque in *Gregorii Naz.* Operibus T. II, p. 190 ſqq. A probabilitate vero abhorret, *Gregorium Naz.* hos verſus compoſuiſſe, quippe qui in Opp. T. II, p. 98 nude de *ſeptem* epp. catholicis loquitur.
m) Vid. *Cosmae Indicopl.* Topographia chriſt. — in *Montefalconii* collect. patrum T. II. p. 292.

dubitari non celavit, nec an ipsi probata fuerit, explorari potest; *Firmiliano*, in Cappadocia episcopo, omnino fuit probata. Epistolam Judae *Origenes* genuinam putavit, *Firmilianus* vero plane ignoravit, vel tanquam spuriam reprobavit. *Eusebius* utrasque epp. pari modo aestimavit easque a nonnullis in dubium vocari significavit.

3) *In seculo quarto* utraeque epistolae plurimorum auctorum testimonio tanquam genuinae ornatae sunt, nec altera alteri publica auctoritate inferior fuisse videtur. Fuerunt tamen singuli, qui contra unam atque alteram dubia moverent, certe dubia ab antiquioribus iniecta memorarent.

Ex posterioribus seculis testimonia scriptorum ecclesiasticorum ut recenseamus, non erit necesse. Vtraeque epistolae in seculo quarto ecclesiarum (an omnium ubicunque terrarum — dici quidem non potest) consuetudine publicaque lectione probabantur *n*). Vtraeque etiam cum ceteris epp. catholicis una collectione comprehensae erant, quod nonnullis e sec. quarto, immo tertio, testimoniis supra allatis apparet. Inde in *dialogis de s. trinitate* vel ab *Athanasio*, vel, quod probabilius est, a *Theodoreto*, conscriptis *o*) dictum 2 Petr. I. 4 hoc modo adducitur: ἐν ταῖς καθολικαῖς ἐπιστολαῖς γεγραπται. Singulos tamen nonnullos ecclesiae doctores post quartum quoque seculum fuisse, qui de αὐθεντίᾳ illarum, de quibus agimus, epistolarum, sicuti et aliorum N. T. librorum dubitarent, non est ut moneamus. *p*).

Ceteroquin non est silentio praetereundum, nec Judae epistolam nec posteriorem Petrinam in *vetustissima syriaca N. T. versione*, cuius singuli libri verisimiliter versus finem sec. secundi orti sunt, reperiri, sed huius omissionis plures causae cogitari possunt, ita ut inde ad labefactandam epistolarum αὐθεντιὰν nil effici queat *). In ceteris versionibus antiquis utraeque epistolae exstant.

Po-

n) Cf. MUENSCHERI *Handbuch der christl. Dogmengesch.* Vol. I. p. 331. ed. 2dae.

o) Inserti sunt illi dialogi in T. V. Opp. THEODORETI ed. Halens., ubi locus memoratus exstat pag. 924.

p) Cf. *Beiträge zur Beförderung des vernünft. Denkens in der Religion*, fascic. XVII, p. 13. seqq. HAENLEIN *Handbuch der Einleitung in die Schriften des N. T.* Tom. I, p. 350 seqq.

*) Vid. POTT Prolegg. ad secund. Petr. ep. p. 161. not. et HAENLEIN Prolegg. ad ep. Judae. pag. 79. 80.

Poſtremo memorandum eſt *teſtimonium auctoris anonymi de canone librorum ſacrorum* a *Muratorio* in *Antt. Ital. medii aevi* T. III. p. 854. editum, cui illuſtrandae et emendandae nuper viri eruditi operam navarunt**). Variae latae ſunt de aetate eius ſententiae. Ex indicio, quod ipſi ineſt, ſtatuendum eſſet, illud quamvis non ***) a *Caio*, Presbytero Romano, cui *Muratorius* vindicandum cenſebat, tamen ab aliquo exeuntis ſeculi ſecundi auctore eſſe conſcriptum. Sed an illi indicio *) fides habenda ſit, certe non procul dubio eſt. Omnino autem videtur vel ipſe auctor, vel is certe, qui ſcriptionem e graeco ſermone latine vertit, eccleſiae romanae addictus fuiſſe. Inde maxime mirum, quod de epp. Petrinis ne verbum quidem praebet. At teſtimonium non niſi mancum atque corruptum exſtat in codice, e quo in lucem tractum eſt a *Muratorio*. Locus, qui epp. Petrinas ſpectaverit, cuiusdam librarii ſ. excerptoris culpa interiiſſe videtur. Vir eruditus, qui noviſſime **) fragmento emendando animum applicuit, locum, qui in fragmento legitur: „*Epiſtola* ſane *Judae* et ſuper ſcripti „Johannis duas in catholica habentur et *ſapientia* ab amicis *Salomonis* in „honorem ipſius ſcripta. *Apocalypſis* etiam *Johannis et Petri tantum* „*recipimus*, *quam* quidam ex noſtris legi in eccleſia nolunt“ — coniecit ita reſtituendum: „*Epiſtola* ſane *Judae* et — Johannis *duae* in catholica „(eccleſia) habentur et ſapientia Sal. — ſcripta, *apocalypſis etiam Johan*„*nis*. *Epiſtolam Petri* tantum recipimus, *aliam* quidem ex n. legi in „eccl. nolunt.“ — Sane acute atque *Origenis*, *Hieronymi* cet. de auctoritate Petrinae poſterioris relationibus accommodate! At ſi textum ſic vere ſanatum exiſtimemus, ſimul merito eſſet accipiendum, fragmentum non ſecundo, ſed demum tertio ſeculo literis eſſe mandatum, propterea quod Petrinam poſteriorem iam ſecundo ſec. alicubi receptam ſ. in eccleſia lectam eſſe

**) Vid. *Caji, Rom. Presbyteri, ut videtur, fragmentum acephalum de canone cet., commentatur* FR. FREINDALLER (Lint. 1803. 8.). ZIMMERMANN *Diſſ. hiſt. crit. ſcriptoris incerti de canone libr. ſacr. fragmentum exhibens* (Jenae 1805.) itemque *cenſor* horum libellorum in (*Hal.*) *Ephemeridd. univ. liter.* anni 1806. Nr. 83 et Nr. 272. Vtrosque illos libellos ipſe oculis uſurpare non potui.

***) Cf. MUENSCHER l. l. p. 311.

*) — verbis nempe: „Paſtorem *nuperrime temporibus noſtris* in urbe Roma Herma conſcripſit *ſedente* (*in*) *cathedra urbis Romae eccleſiae Pio epiſcopo* fratre eius.“

**) in (Hal.) *Ephemeridd.* cit. Nr. 272.

esse nullum certum invenitur apud patres antiquos vestigium. Vide supra. Equidem putem, verba illa: „*Apocalypsis* (vel quod potius legendum: „*Apocalypsin*) etiam Johannis et Petri" cet. non esse sollicitanda, quum *apocalypsis Petri*, teste *Eusebio* (H. E. VI, 14.) iam secundo sec. a Clemente Alexandrino usurpata, immo illustrata sit eaque in eccl. *romana*, licet forte non publica auctoritate, lecta fuisse vix dubitari queat. Coniecerim vero auctorem fragmenti primam s. utrasque Petri epistolas statim post Paulinas memoravisse adeoque in fragmento inter loca: „— *misceri non congruit*" atque „Epistola sane Judae" cet. lacunam existimandam esse. Ceterum quicquid iudicemus, fragmentum nec ad vindicandam nec ad convellendam Petr. poster. ep. *αυθεντιαν* iuste adhiberi posse, omnino apparet; quin quum dubiae aetatis incertaeque fidei sit, vel ad epistolae Judae auctoritatem firmandam nihil valet, praesertim quum locus, ubi Judae epistola memoratur, forsan pro corrupto habendus sit, nam portentosissimum est, epistolam Judas et sapientiam Salomonis coniunctim utpote in canonem N. T. relatas dici.

SECTIO SECUNDA.

Singuli utriusque epiſtolae verſiculi, quibus ſimilitudo intercedit, accuratius comparantur, unde Judae epiſtolam ex Petrina expreſſam ideoque ea poſteriorem eſſe apparebit.

Vtramque epiſtolam non ſolum conſilio et argumento, ſed etiam dictione, allatis exemplis, imaginibus, comparationibus, immo ſingulis verbis et phraſibus maxime congruere, quivis lector eruditus non poteſt quin confiteatur. Hanc congruentiam ſive fortuitam putandam ſive inde quod uterque auctor idem conſilium in iisdem lectoribus edocendis ac commonefaciendis ſecutus ſit ſeu ſententias et voces ex uno eodemque fonte hauſerit, derivandam eſſe, hac noſtra aetate, quum iam multi graviſſimi auctores *p*), quantopere ab omni probabilitate una atque altera harum ſententiarum abhorreat, luculenter docuerint, vix ullus contendet *q*). Omnino ſtatuendum eſt, unum auctorem alterius epiſtolam, quum ſuam ipſius conſcriberet, ante oculos habuiſſe pluraque ex ea ipſis verbis vel ſervatis vel paululum mutatis in uſus ſuos convertiſſe. Poteſt tantummodo diſceptari, num Petrus, ſive verus ſit, ſive perſonatus, epiſtolam Judae, an e contrario Judas epiſtolam Petrinam, maxime ſecundum eius caput, uſurpaverit ac multa inde mutuatus ſit. Exſtiterunt non pauci, qui in poſteriorem ſententiam abirent e. gr. au-

p) Videſis inter alios cel. HAENLEINII *Handbuch der Einleitung in's N. T.* Vol. I, p. 217. ſeqq. ed. 2dae atque eiusdem *Epiſtolam Judae commentario critico cet. illuſtratam* p. 70. ſeqq.

q) Ven. *Bolten* l. l. p. XXX propoſuit coniecturam, utrasque epp. ab eodem auctore eſſe conſcriptas, qui in altera Judae, in altera Petri perſonam ſuſceperit; ſed nulla adſunt argumenta, quibus tale commentum ſtabiliri queat; refutatur quoque pleniſſime iis, quae infra in ſectione quinta exponuntur, ut et multis, quae in hac ſect. ſecunda obvia erunt. Nec crediderim, virum doctiſſimum, quod obiter coniecit, id ſtudioſe eſſe aſſeveraturum.

auctores satis noti, MILLIUS, CHR. F. SCHMIDIUS, ZACHARIAE, MICHAELIS, STORRIUS, HAENLEINIUS, STOLZIUS, SCHULZIUS, alii; at rationes, quibus inducti fuerint, vel nullas vel certe non ita ut lectorem haesitantem aut contrariae sententiae addictum convincerent, expoſuerunt. Ipſe cl. SCHULZIUS, qui in libro infra cit. *r*) eos utriusque epiſtolae locos, quos conſimiles putat, uno in conſpectu videndos dedit, Judam a Petro pendere minime probavit, ſed tantum aſſeruit. Res vero non niſi accuratiſſima ſingulorum locorum, immo verborum comparatione diiudicari poſſe videtur. Contrariam ſententiam, ex epiſtola Judae Petrinam eſſe expreſſam, adoptarunt atque corroborare ſtuduerunt olim b. HERDERUS *s*), licet epiſtolam poſteriori loco Petro adſcriptam ab iſto apoſtolo profectam eſſe non dubitaret, nuper vero, qui id quidem omnino dubitat, ven. SCHMIDT *t*) et qui copioſius rem pertractavit, cl. WELCKER *v*). Alii contra, e. gr. ven. KLEUKER *x*) et cenſor quidam eruditus anonymus *y*) rem plane non dirimendam eſſe declararunt. Eſt ea vero in unius alteriusve epiſtolae αὐθεντία vindicanda maximi momenti ideoque eſt ex conſilio meo, ut ſingulos utriusque epiſtolae verſiculos plus minusve conſimiles penitus comparando et accuratiorem κρίσιν adhibendo, utra earum alteram ſubſecuta ſit, indagare ſtudeam. Vt brevitati conſulamus, conſcriptores utriusque epiſtolae vulgatis nominibus Petrum et Paulum nuncupamus.

1) Inſcriptio *utriusque epiſtolae* (v. 1 et 2.) haud multo magis congruit, quam omnium fere epiſtolarum N. T. inſcriptiones verbis et ſenſu

r) „*Der ſchriftſtelleriſche Charakter und Werth des Petrus, Judas und Jakobus*“ cet. (Leucopetrae et Lipſ. 1802.) p. 38. ſeqq. coll. p. 46.

s) in libello, cui titulum fecit: „*Briefe zweener Brüder Jeſu in unſerm Kanon*“ (Lemgov. 1775.) pag. 76. ſeqq. Argumentis ibi prolatis ſat magnam vim ineſſe, paucis abhinc annis iudicavit cel. GABLERUS in libro menſtruo *N. theol. Journal* a. 1800, Vol. I. p. 272. not. Ven. VOGEL quoque ſe HERDERI ſententiae faventem prodidit. Vid. *Neueſtes theol. Journ.* in annum 1803. Vol. I. p. 324.

t) in libro ſaepius laud. *Einleitung ins N. T.* p. 336.

v) in *clave phil. exeg.* ſupra cit. p. 184 ſeqq.

x) „*Ueber den Urſprung und Zweck der apoſtoliſchen Briefe*“ cet. (Hamburgi 1799.) p. 252.

y) *Neues theol. Journ.* in annum 1800 pag. iam citat., his verbis: „*Nur das wird ſich wohl nie mit Gewiſsheit ausmachen laſſen, welcher von dieſen beiden Schriftſtellern der frühere geweſen iſt.*“

sensu congruunt. Consentit omnino uterque auctor, se δοῦλον Ἰησοῦ Χριστοῦ nominando verbaque εἰρήνη πληθυνθείη afferendo. Quod casu fieri potuisse, nullus negabo. Sin vero ex aliis locis perspicuum sit, Judam inspexisse Petrinam epistolam, non abhorret a probabilitate, eum in inscriptione quoque concinnanda duce Petro usum esse, praesertim quum etiam in *prioris* ep. Petrinae inscriptione eadem verba εἰρήνη πληθυνθείη legantur.

2) Versus 3. *Judae* sensu et scopo verborum παρεκκλήτως ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει apprime consentit cum prolixiori sermone in ep. *Petrina* c. I, 3—10. et 12. nec non loco 3, 17. et praeterea phrasis Judae πᾶσαν σπουδὴν ποιεῖσθαι convenit cum dictione Petrina I, 5. σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες, sed inde quoque nil certi concludi posse, lubens concedo.

3) Versu quarto ep. *Judae* incipit descriptio hominum vitiorum labe errorumque contagio infectorum atque eandem fere descriptionem praebet secundum epistolae Petrinae caput. Abhinc ergo maiorem utriusque epistolae similitudinem videbimus. Conferendus est *versus quartus Judae:*

„Παρεισέδυσαν γάρ τινες ἄνθρωποι, οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα, ἀσεβεῖς, τὴν τοῦ θεοῦ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν καὶ τὸν μόνον δεσπότην καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι“

cum *loco Petrino II, 1-3:*

„Ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται ἐν τῷ λαῷ, ὡς καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι, οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας, καὶ τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι, ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν· καὶ πολλοὶ ἐξακολουθήσουσιν αὐτῶν ταῖς ἀσελγείαις (δι' οὓς ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας βλασφημηθήσεται) καὶ ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται· οἷς τὸ κρίμα ἐκπάλαι οὐκ ἀργεῖ καὶ ἡ ἀπώλεια αὐτῶν οὐ νυστάζει.“

Sensu et enunciatione sensus utrique auctores hic manifesto consspirant. Sed uter sese alteri accommodavit? Num Petrus breviora Judae dicta extendit atque amplificavit? An Judas laxiorem Petri sermonem contraxit et coarctavit? — Ex mea quidem sententia posterius multo magis probabi-

litati accedit. Qui enim preſſius dictum idque ſenſu ſuo ſatis perſpicuum ante oculos habet, hoc non ita dilatabit, ut obſcurius atque inconcinnum reddatur. Id vero feciſſet Petrus, ſi poſterior ſcripſiſſet. — Conſideranda ſunt ſingula. Duplex enunciatum Petrinum: επαγοντες εαυτοις ταχινην απωλειαν atque ος το κριμα εκπαλαι ουκ αργει και η απωλεια αυτων ου νυσταζει in epiſtola Judae ita comprehenſum legitur: οι παλαι προγεγραμμενοι εις τουτο το κριμα. Pro Petrinis illis: „ψευδοδιδασκαλοι, οιτινες παρεισαξουσιν αιρεσεις απωλειας“ Judas ſimplicius dixit: τινες ανθρωποι, fortaſſe cogitans non tantum ſceleſtos doctores; ſed ſimul etiam depravatos eorum aſſeclas, quos ut tanquam εξακολουθουντας ταις ασελγειαις talesque, δι' ους η οδος της αληθειας βλασφημηθησεται, memorare ſuperſedeat, illos ανθρωπους illico vocat την του θεου ημων χαριν μετατιθεντας. (Doctrinam chriſtianam του θεου ημων χαριν aeque ac οδον της αληθειας nominari, non eſt ut moneam.) Pro dicto Petrino τον αγορασαντα αυτους δεσποτην αρνουμενοι diſtinctius poſuit: τον μονον δεσποτην και κυριον ημων Ιησουν Χριστον αρνουμενοι. Quoniam praemiſerat: προγεγραμμενοι εις τ. το κριμα, intelligebat forte, Chriſtum h. l. non apte nominari poſſe τον αγορασαντα αυτους, quare hoc epitheton in ep. Petr. adiectum omittebat et quum in proxime antecedentibus locutionem του θεου χαριν uſurpaſſet, facile in id incidere poterat, ut vocem δεσποτην ad θεον referret, Ιησουν Χριστον vero ſingulariter κυριον ημων nominaret z). Quomodo Petrus Judae dictum, ſi ei ante oculos fuiſſet, ita ut legimus, adumbrare potuiſſet, equidem non intelligo. Largior tamen, hac ſola argumentatione non extra dubitationis aleam poni, Petrum prius, Judam poſterius ſcripſiſſe. Verum enim ut ita ſtatuam, ea ratione quoque potiſſimum inducar, quod Judas fallaces doctores deſcribat, qui *iam* undique in coetus chriſtianos ſeſe *inſinuarunt*

(παρε-

z) Verba του μονον δεσποτην ad θεον referenda eſſe, licet ipſam vocem θεον, quae in textu vulgato poſt δεσποτην legitur, rationibus criticis permoti cum *Semlero*, *Griesbachio*, aliis tanquam gloſſema excludamus, nemo infitias ibit, qui contextus rationem perſpexerit. *Lutheri* verſio: „*Sie verleugnen Gott und unſern Herrn Jeſum Chriſt; den einigen Herrſcher*“ ab ordine verborum in textu graeco aberrat.

(παρεισεδυσαν), Petrus vero, si non de talibus agat, qui *aliquando prodituri* et *in posterum* denique errorum morumque suorum foeditate Christianis damnum *illaturi* sint (και εν ὑμιν εσονται ψευδοδ., οἱτ. παρεισαξουσιν cet.), certe homines intelligat, qui *demum nuper* semina errorum vitiorumque spargere *coeperint*, mox vero perniciem ulterius sint propagaturi. Quid enim? Sicuti ipse salutiferae religionis auctor secundum evangelistarum commentarios (e. gr. Matth. XXIV, 4. 5. 11. 24. Marci XIII, 22. Luc. XXI, 8.) saepius de falsis doctoribus loquebatur, quos praevidebat conaturos esse, ut de puriori doctrina saniorique cogitandi et agendi ratione vel τους εκλεκτους deducant, ita etiam apostoli epistolarum suarum lectores haud raro de falsorum doctorum corruptelis monent, quibus vel forent, vel revera iam essent expositi. Vid. 1 Joann. II, 18. IV, 1. Ephes. V, 6-12. 1 Tim. IV, 1. 2 Tim. III, 1-9. IV, 3. 4. coll. cum oratione Paulina Actor. XX, 29. 30. Judicarunt nonnulli interpretes, formam futuri a Petro usurpatam (εσονται - παρεισαξουσιν cet.) locum temporis praesentis sustinere; non nego; sed quod inde concluserunt, corruptionem esse iam ulterius progressam secundum Petri quam Judae dicta, omnino miror. Contrarium potius indubitanter assumendum est. Immo si Petrus homines, quorum studio errorum et vitiositatis venenum iam diutius manasset, descripturus esset Judaeque dictum παρεισεδυσαν cet. ante oculos habuisset, sane fieri non potuisset, ut formas εσονται et παρεισαξυσιν adhiberet. Ad omnia haecce, ex quibus Petrus maiori prababilitate, quam Judas, epistolam suam prius scripsisse putandus est, accedit, ut Petri caput secundum, quo in falsos doctores invehitur, cum cap: 1mo antecedenti bene cohaereat *a*) ideoque vix cogitari possit, eum rem magis ex alio auctore, quam ex sua ipsius mente expromsisse.

4) Versu quinto in ep. Judae transitus ad exempla ultionis divinae subitus fit consimilibus verbis (ὑπομνησαι δε ὑμας βουλομαι, ειδοτας ἁπαξ τουτο), quam quae 2 Petri I, 12 leguntur ita: Διο ουκ αμελησω ὑμας αει ὑπομιμνησκειν περι τουτων, καιπερ ειδοτας. Sed hoc ut levius praetermitto. Maioris momenti est similitudo et dissimilitudo sensus atque verborum, qua uterque, Judas v. 5-7 et Petrus c. II, 4-10 tria

a) Vid. S. V. ROSENMUELLERI Scholia ad locum 2 Petri II, 1 et KNAPPII scripta laud. p. 12.

tria exempla poenarum divinarum protulerunt. *Petrus* exempla ex mythologia et historia iudaica petita una cum eo (v. 9.); quod his exemplis illustrare et confirmare studebat, nec non alia thesi (v. 8.) intertexta in unam longiorem periodum (v. 4-10) congessit; *Judas* vero exempla collecta (v. 5-7) singulatim exhibuit et deinde nova periodo (v. 8) flagitiosos homines in ecclesia christiana subrepentes, quibus poena aeque horrenda immineret, strictim designavit. *Petrus* cum diri supplicii exemplis connexuit praeclarae virtutis eamque secutae gratiae divinae exempla, Noachum (v. 5.) et Lotum (v. 7 et 8); *Judas* brevitati studens in solis poenae divinae exemplis memorandis acquievit. Quas ob causas Judae oratio in his versibus est multo facilius contexta, quam oratio Petri, quae contra versus praecedentes (1-3) aptius excipere videtur, quam Judae oratio (v. 5. sq.) versum quartum antecedentem excipit. Utramque sedulo perlegenti ex meo quidem sensu vix dubium esse potest, quin Judas scriptor posterior existimandus sit. Sed curatius ipsa exempla ab utrisque auctoribus adducta perspiciamus. *Petrus* proponit 1) angelos malos, qui a Deo defecerant atque propterea in tartarum erant detrusi (v. 4); 2) impios, qui diluvio Noachico interierant (v. 5) et 3) perditissimos urbium Sodomae et Gomorrhae incolas (v. 6). Apud *Judam* exempla non omnino eadem nec eodem ordine sequuntur ita: 1) gens Israelitica in itinere ex Aegypto ad Palaestinam suscepto immorigera ideoque Palaestinam haud assecuta (v. 5); 2) angeli contra deum rebellantes (v. 6) et 3) sceleratissimi Sodomae urbiumque adiacentium incolae (v. 7). — Ordo, quo exempla apud Petrum sese excipiunt, sane est praestantior. Exemplum enim ab Juda priori loco allatum, si temporum rationi obtemperasset, tertio loco fuisset ponendum ac, si omnia tria exempla ex suo ingenio dedisset, illud forte sic collocavisset. Sed sui ipsius animi nisu offert tantum prius ex desertis inter Aegyptum et Palaestinam extensis depromtum. Jam inspicit epistolam Petrinam indeque arripit exempla, quae ibi primum et tertium locum tenent. Ipsa verba quidem non arripit, sed ea, nisi oculis, certe animo eius, tum quum exempla literis mandaret, obversata fuisse, satis luculenter apparet. En uno obtutu exemplum daemonum malorum ab utroque auctore delineatum:

Petrus:	*Judas:*
v. 4. — ὁ θεὸς ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ σειραῖς	v. 6. ἀγγέλους τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόν-

φεις ζοφῳ ταρταρωσας παρεδωκεν εις κρισιν της μεγαλης ἡμερας,

λιποντας το ἰδιον οικητηριον, εις κρισιν μεγαλης ἡμερας, δεσμοις αιδιοις ὑπο ζοφον τετηρηκεν.

Judas h. l. sermone prolixiori utitur, quam *Petrus*, sed alias quoque, ubi rem e traditione iudaica hausiam seu mythis iud. commixtam genioque cuiusdam classis lectorum arridentem pertractat, fusius eam exponit. Hic praeter epistolam Petrinam librum quoque *Enochi* apocryphum, quem infra v. 14. 15. apertius in subsidium vocat, compilasse videtur. Inter specimina enim, quae ex aethiopico huius libri exemplari latine versa palam fecit cel. *de Sacy*, loca quaedam occurrunt in diversis capitibus dispersa, quae una cum dicto Petrino fontem verborum Judae existimare possumus. Legitur c. 12 *b*): „Dixit mihi (Dominus): Enoch, scriba iustitiae, vade et nuntia *vigilibus coeli, qui deseruerunt coelum excelsum et stationem sanctam, quae est in seculum* („αγγελες τους μη τηρησαντας την ἑαυτων αρχην, αλλα απολιποντας το ἰδιον οικητηριον“) et cum mulieribus corrupti sunt et fecerunt quemadmodum faciunt filii hominum, et uxores sibi acceperunt et magna corruptione super terram corrupti sunt *c*), *pacem et remissionem peccati haud unquam futuram eis* in terra.“ *d*). Deinde in fragm. cap. 16 *e*) occurrit: „gigantum, qui ..... similiter peribunt *usque ad diem iudicii magni* („εις κρισιν μεγαλης ἡμερας“) a seculo, magni, (quod) consummabitur a vigilibus (αγγελων) et impiis.“ Imprimis vero dignus est, qui cum postremis verbis versiculi Judae: „εις κρισιν μεγ. ἡμ., δεσμοις αιδιοις ὑπο ζοφον τετηρηκεν“ conferatur, locus cap. 10. *f*) „Rursus dominus Raphaeli: *Liga Azazyelis* [qui erat e principibus των αγγελων degenerantium (c. 6.) et „docuit omnem iniquitatem super terra“ *g*)] *ma-*

b) p. 25. libelli supra citati: *Notice du livre d'Enoch*, et p. 52. versionis germanicae a ven. RINCKIO confectae.

c) Cf. fragmentum mythicum Genes. VI, 1—4, quod procul dubio fundus miri huiusce commenti est.

d) Hisce consentit alius locus in c. 15. (ed. francog. p. 29, germanicae p. 59): „Quare *dereliquistis coelum excelsum et sanctum*, quod est in seculum“ cet.

e) p. 31. ed. francogall., p. 61. ed. germ.

f) p. 22. ed. francog., pag. 47. ed. germ.

g) c. 9. ed. francog. p. 21., ed. germ. p. 45.

manus et pedes et *proiice* illum *in tenebras*; - - - - obtege faciem eius, ut non videat lucem et *in die magno iudicii* (erit), ut mittatur in ignem." *b*) Et similiter paulo post in eodem cap. 10 ad alios principes cum Azazyele in prava consilia sociatos spectant verba: „*Liga eos* — *usque in diem iudicii* eorum," cet. — An Petrus quoque ex libro Enochi hauserit, in medio relinquendum est; apparet certe eum non anxie sese ad illum accommodavisse *i*). Pariter etiam apparere puto, Petro h. l. Judae epistolam non ante oculos fuisse, nam, si ita res se haberet, ipse qui alias copiosiorem amat expositionem, h. l. breviorem non anteposuisset nec commodiorem verborum dilectum ex Juda servandum sprevisset. — Eadem ratione argumentari licebit, si alterum exemplum, quod utrique auctores commune habent, conferamus.

Petrus:	*Judas:*
v. 6. πολεις Σοδομων και Γομορρας τεφρωσας κατασροφη κατεκρινεν, ὑποδειγμα μελλοντων ασεβειν τεθεικως.	v. 7. ως Σοδομα και Γομορρα και αι περι αυτας πολεις, τον ὁμοιον τουτοις τροπον εκπορνευσασαι και απελθουσαι οπισω σαρκος ετερας, προκεινται δειγμα, πυρος αιωνιου δικην ὑπεχουσαι.

Nonne Petrus, si Judae loco ceu πρωτοτυπῳ usus esset, plenius dixisset, quod nunc breviter dixit? — Judae vero, quum in eo esset, ut praeeunte Petro interitum urbium S. et G. memoraret, mentem subit narratio

b) Eadem apud GEORG. SYNCELLUM, qui in Chronographia sua plura ex *libro* (*Pseudo-*) *Enochi* excerpta dedit, *graece* ita leguntur: „Και ἰω Ραφαηλ ειπεν· πορευου Ραφαηλ και δησον ἰον Αζαηλ, χερσι και ποσι συμποδισον αυτον και εμβαλλε αυτον εις το σκοτος - - - - και την ὀψιν αυτου πωμασον και φως μη θεωρειτω. και εν τη ἡμερᾳ της κρισεως απαχθησεται εις τον εμπυρισμον του πυρος." Vid. GRABII specileg. patrum ut et haeretic. p. 351. 52. 53. et FABRICII Cod. pseudepigraph. V. T. Vol. I, p. 191. 92. coll. p. 193. 94.

i) Fortasse ad alium quemdam librum mythicum respexit. Conferri meretur locus, quem SCHOETTGENIUS in horis hebr. cet. ad dictum Petr. attulit ex iuniori scriptore rabbinico.

ratio uberior vel ex Geneſ. c. XIX ſatis nota indeque mutat et amplificat dictum Petrinum, Vocem πολεις ſemel depromtam ſervat, licet ei notionem incolarum, quae a Petri ſenſu aliena eſſe videtur, ſubiiciat; in ſeqq. autem haud incommode φρασιν αμφιβολον adhibet: πυρος αιωνιε δικην υπεχειν, quae ad urbes tanquam aedificiorum ſtruem et compagem ſpectans ignem regionis per ſecula non exſtinctum *k*), ad incolas vero relata ſupplicium, quod in gehenna luant aeternum, denotare poteſt *kk*). In formula loquendi απερχεσθαι οπισω σαρκος adhibenda reſpexit forte Petrus, qui verſ. 10. uſurpavit: οπισω σαρκος πορευεσθαι. Verbis vero τον ομοιον τουτοις (ſcil. αγγελοις v. 6 *l*)) τροπον εκπορευσασαι perſpicue alludit mytho in libro Enoch, quo angeli cum mulieribus in terrâ rem habuiſſe dicuntur *m*), ſicuti dictione απερχεσθαι οπισω σαρκος ετερας foediſſimum flagitium ſignificare voluiſſe videtur, quo ex vulgari interpretatione loci Geneſ. XIX, 5. iam ſatis antiqua (v. LXX interprett.) Sodomitae ſeſe inquinaſſe putabantur. Sic facile eſt explicatu, quomodo Judas v. 7. Petri veſtigia ſublegens, ab eo tamen nonnihil diceſſerit! — Quod Petrus ſecundo loco (c. II, 5) poſuit exemplum ab

k) Conſtat ex recentiorum peregrinatorum relationibus incendii veſtigia in regione Sodomitica adhuc reperiri. Videſis, quae de fato regionis illius pentapolitanae expoſuimus *ad Amoſum* IV, 11. ut et dictum *Philonis* in *Chreſtomathia Philon.* p. 64. Nec poenitebit contuliſſe, quae cel. WAKEFIELD in *Silva critica* P. I, p. 84. et P. V. p. 157. congeſſit.

kk) Hunc ſenſum poſteriorem, quem Judas omnino una ſpectare poterat, cenſor quidam eruditus in *diario theol. Gableriano* a. 1800. p. 277. bene defendit contra HAENLEINIUM, qui WAKEFIELDIUM (in *Silva crit.* P. I, p. 83. acerbiſſime, iniuſte vero de interpretatione illa iudicantem) ſecutus eſſe videtur.

l) HAENLEINIUS in commentario ad ep. Judae p. 109. reprobat ſententiam eorum, qui τουτοις ad praecedens αγγ. retulerunt, ſed fugit virum ven., quam preſſe Judas v. 6. ad libr. Enochi acceſſerit. Neutra vero opinionum, quarum utra praeferenda ſit, ipſe fluctuat, admitti poteſt. Contextus ſane pariter refragatur, ſive voce τουτοις corruptores chriſtianorum impura libidine abreptos (utpote tales vero in ſequentibus denique deſignati ſunt), ſive incolas urbium S., G. cet. (qui ipſi ſcilicet ſub verbis πολεις — εκπορευσασαι latent) reſpici putemus.

m) Cf. praeter primum locorum ſupra p. 31. allatorum, etiam p. 20 et 22 edit. libelli cel. *de Sacy* francog. et p. 43. et 46. ed. germ.

ab hominibus flagitiosis diluvio Noachico exstinctis petitum, id prorsus praeteriit Judas, quoniam (v. 5.) Israelitarum, qui in deserto perierant, exemplum a Petro non memoratum adduxerat, quo autem eodem Paulus in ep. 1ma ad Corinth. X, 5—10. et auctor epist. ad Hebraeos III, 16—19. usi sunt. Numerum *trium* exemplorum, quem solemniorem veteres existimavisse constat, excedere noluit. Ergo non est, ut omissione illius exempli Petrini offendamur indeque cum HERDERO *n*) Judam Petro priorem scripsisse colligamus. Immo forte etiam ea de causa illud exemplum omittendum esse duxit, ne eo adhibito se imitatorem Petri proderet, qui eodem in priori quoque epistola c. III, 19. 20. usus est.

5) Versus *Judae* octavus:

„Ὁμοίως μέντοι καὶ οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι σάρκα μὲν μιαίνουσι, κυριότητα δὲ ἀθετοῦσι, δόξας δὲ βλασφημοῦσιν"

parallelus est loco *Petrino* c. II, (9) 10: (οἶδε κύριος — ἀδίκους - εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν·)

„μάλιστα δὲ τοὺς ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευομένους καὶ κυριότητος καταφρονοῦντας. Τολμηταὶ, αὐθάδεις, δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες."

Hîc Judas manifesto sensum perspicuum facilioribus dicendi formulis exhibuit, ita ut Petrus, si eius exemplum secutus esset, vix dubitari possit, quin ipse quoque luculentiorem dicendi rationem praetulisset. E contrario, quum Petri verba priora sint nonnihil impedita, mirari non possumus, quod Judas sensum eorum vel non iuste assequeretur vel — quod probabilius est — pro suo consilio formulae duriori eique generaliori substitueret formulas speciales easque molliores. Ex una enim φράσει Petrina: ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ (quae verba postrema duce *Pottio* resolverim: κατ' ἐπιθυμίαν μεμιαμμένην) πορεύεσθαι (i. e. instigante concupiscentia impura voluptatem sectari) Judas effinxit binas, quae foediissima flagitia designant, ἀπέρχεσθαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας (v. 7) o) atque σαρκα (scil. ἑαυτῶν) μιαίνειν. Obiter moneo, utrumque auctorem, dum flagitiosos, qui se turpissimae libidini darent, simul erga κυριότητα et δόξας (i. e.

n) l. c. p. 80., ubi pro indole fervidioris sui ingenii nonnulla dixit, quae iustum modum argumentandi excedunt.

o) vid. supra p. 33. et HAENLEINII commentar. ad h. l. p. 110.

(i. e. altiores genios cf. loca Paulina Coloss. I, 16. Eph. I, 21. VI, 12) improbissimum contemtum prodere facit, respexisse videri opinionem iudaicam, qua mortales undique ab angelis tanquam custodibus haud adspectabilibus observari *p*) ideoque vel ex reverentia his sanctis testibus debita omnibus nefandis abstinendum esse credebatur.

6) Versus nonus *Judae*:

„Ο δε Μιχαηλ ὁ αρχαγγελος, ὁτε τῳ διαβολῳ διακρινομενος διελεγετο περι τῦ Μωυσεως σωματος, ȣκ ετολμησε κρισιν επενεγκειν βλασφημιας, αλλ' ειπεν· „„Επιτιμησαι σοι κυριος!“ “

quoad scopum et verba maxime conspirat cum loco *Petrino* c. II, 11:

„ὁπȣ αγγελοι ισχυϊ και δυναμει μειζονες ὀντες, ȣ φερȣσι κατ' αυτων παρα κυριῳ βλασφημον κρισιν.“

Petrus proponit thesin, Judas profert exemplum, quo thesis continetur et illustratur. Nisi alii versiculi in utraque epist. legerentur, qui sedulo comparati ad rem dirimendam facerent, h. l. unico non satis apparere concederem, utra alteri praeluxerit. Respexerunt vero utrique auctores sane eandem traditionem mythicam, quae forte iam tum temporis scripta exstabat *q*). Nexus, quo versiculus cit. in utroque auctore cum versu antecedente

p) Cf. interpretes ad loc. vexatissimum 1 Cor. XI, 10, cui hac opinione lux affundi potest.

q) Uberiores huius traditionis reliquiae, quae locum nostrum parallelum egregie illustrant, reperiuntur apud scriptores rabbinicos, ex quibus ad locum Judae *Wetstenius*, *Haenleius*: aliique excerpserunt, nec non in *Oecumenii* commentario ad h. l. (Opp. Tom. 2. p. 629) atque in *scholio cod. gr.*, quod cel. *Matthaei* in edit. N. T. maiori Vol. X. p. 238. 39, emendatius vero ex alio cod. (Vindobon. 34) exhibuit nuper S. V. BIRCH in Prolegom. ad *Auctarium cod. apocryphi N. T. Fabriciani*, fascic. 1mus (Hauniae 1804) p. LX. (Quod cel. *Birch* p. LIX librum apocr. *Enochi* ad hunc vers. 9 Judae retulit et Brucium, Fabric. Grabiumque excitavit, lapsu memoriae fecit, versum 14 Judae et vers. nonum commutando. De altercatione s. Michaëlis et Satanae nihil habent fragmenta libri Enochi publice edita.) *Origenes* περι αρχ. III, 2 (quem locum supra p. 13 e versione *Rufini* transscripsi) Judam ex *Ascensione Moysis* (Αναληψις M.) hausisse ait. At dubitari potest, an idem liber apocryphus, qui aetate Origenis divulgatus multisque patribus lectus (v. *Fabricii cod. pseudepigr. V. T.* Vol. I, p.

cedente cohaereat, ex mea quidem sententia ita constituendus est: Homines illi errorum vitiorumque contagio infecti vel angelis, quibus circumsessi sint, nihil deterrentur, quominus turpissimis libidinibus indulgeant, nihili ergo pendunt genios illos altiores, quod tanto detestabilius, quum angeli sibi invicem mutuam exhibeant reverentiam, immo vel pravis daemonibus angeli beati reverentiam quandam non denegent. Ceterum omnino credere licet, hoc sensu etiam spectari talia haereticorum dogmata, quibus *angelorum* auctoritas detrectabatur r).

7) Decimus versus *Judae:*

„Ουτοι δε ὁσα μεν ουκ οιδασι, βλασφημουσιν· ὁσα δε φυσικως, ὡς τα αλογα ζωα, επισανται, εν τουτοις φθειρονται"

eximie congruit cum loco *Petrino* c. II, 12.

„Ουτοι δε, ὡς αλογα ζωα φυσικα, γεγεννημενα εις ἁλωσιν και φθοραν, εν οις αγνοουσι βλασφημουντες, εν

842 sqq.) erat, etiam Judae notus fuerit. — Si quis est, quem μυθος ille de corpore Mosis disceptationem altiorum geniorum excitante offendat, eum commonefacimus loci *Homerici* (XXIV, 107), qui forte nobis succurrit:

εννημαρ δη νεικος εν αθανατοισιν ορωρει
Εκτορος αμφι νεκυι — — —

r) Censor quidam eruditus in libro menstruo Gableriano: *N. theolog. Journ.* in annum 1800 Vol. I. p. 279 altercationem angeli Michaëlis ac Satanae propterea ab Juda esse memoratam coniecit, quia Judaei et Judaeo-Christiani illius temporis adversus ethnicos magistratus, quos *Satanae* imperio subditos putassent, contemtorem animum et contumaciam saepius ostendissent, tale vero exemplum principis angelorum, qui gentis indaicae tutelam gerere credebatur, ad pudorem iis iniiciendum valeret. At haec, licet acute, parum tamen probabiliter dicta sunt: in textu enim nullum opinionis illius de Satanae in magistratus ethnicos imperio apparet vestigium nec omnino contextui in versibus utriusque epistolae parallelis consentaneum est, ut vocibus: κυριοτης et δοξαι *magistratus civiles* denotari putentur, nam contemtus et procacitas adversus κυριοτητα et δοξας ab utroque auctore in eadem periodo (2 Petri II, 10. Jud. 8) una cum nefandae Veneris flagitiis commemoratur et ψευδοδιδασκαλοι (2 P. II, 12. Jud. 10) dicuntur κυριοτητα ac δοξας *ignorare.*

ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται, κομιούμενοι μισθὸν ἀδικίας.“ s).

Quis dubitet, an unus ex altero ſit imitando effictus? Et quis eſt, quin judicet, Petrum, qui latius, durius atque impeditius ſcripſit, ex ſuopte ingenio, nemine praelucente, ſcripſiſſe; Judae vero, cuius dictum eſt brevius, facilius et terſius, locum Petrinum in promtu fuiſſe, unde ſenſum et verba deſumeret, ita tamen, ut quicquid lectorem moraretur, feliciter evitaret? Apparet, eum verba Petrina ſcitius contexuiſſe eoque ſenſum emendaviſſe. Namque non ſolum verba ἄλογα ζῶα comparandi cauſa adiecta, otioſo appendice γεγεννημένα εἰς ἅλωσιν καὶ φθοράν prorſus excluſo, ita collocavit, ut ad βλασφημ. referri nequeant, ſed etiam ipſius comparationis finem diſtinctius indicavit. Audacter contenderim, Petrum, ſi epiſtola Judae iam exſtitiſſet eique ante oculos fuiſſet, non potuiſſe, quin aliter ſcriberet.

8) Verſu 11 *Judas* animi vitaeque pravitatem haereticorum deſcripturus tribus perditiſſimorum hominum in V. T. exemplis alludit ita:

„Οὐαὶ αὐτοῖς! ὅτι τῇ ὁδῷ τοῦ Καὶν ἐπορεύθησαν καὶ τῇ πλάνῃ τοῦ Βαλαὰμ μισθοῦ ἐξεχύθησαν, καὶ τῇ ἀντιλογίᾳ τοῦ Κορὲ ἀπώλοντο.“

Eum haec quoque praeludente Petro exhibuiſſe, nullus dubito. Petri verſum 12 paulo ante (§. 7) cum Judae verſu 10 collatum non quidem excipit, quod Judas v. 11 cit. reſpexiſſe putari queat, ſed deinde c. II, 15. 16 in continuata fallacium doctorum deſcriptione ita legitur apud *Petrum*:

„καταλιπόντες τὴν εὐθεῖαν ὁδὸν, ἐπλανήθησαν, ἐξακολουθήσαντες τῇ ὁδῷ τοῦ Βαλαὰμ τοῦ Βοσὸρ, ὃς μισθὸν ἀδικίας ἠγάπησεν, ἔλεγξιν δὲ ἔσχεν ἰδίας παρανομίας· ὑποζύγιον ἄφωνον, ἐν ἀνθρώπου φωνῇ φθεγξάμενον, ἐκώλυσε τὴν τοῦ προφήτου παραφρονίαν.“

Exem-

s) Verba tria poſtrema, quae in edd. noſtris verſum 13 inciplunt, a verſu 12 non ſeparari debebant, ſunt enim ab auctore per ἐπεξηγητικῶς („improbitatis ſuae mercedem deportant c. e. poenam dabunt“) praecedentibus addita. Noviſſimus quidem interpres, cl. WELCKER l. c, p. 201 verba illa cum ſubſequentibus connectit eaque vertit: „*Sie nehmen unrechtmäſsige Geſchenke an*,“ at iſte ſenſus a contextu verſiculorum 12 et 13 alienus eſt. Lucri ſtudium doctorum improborum memoratur denique verſu 14 et 15.

Exempla *Caini* atque *Corachi* apud Petrum non exſtant. Quid? Si poſterius ſcripſiſſet Judaeque epiſtolam ad uſus ſuos convertiſſet, nonne, quum in ceteris uberiorem expoſitionem amaret, ambo iſta exempla etiam uſurpaſſet eaque dilataſſet? — *Bileami* exemplum uberiori narratione dedit, ſicuti ſupra etiam v. 7. et 8. *Loti* exemplum uberius, quam pro conſilii ratione neceſſe erat, expoſuit. Judas, brevitati ſtudens, ſummam rei tantummodo delibavit. Vt vero ex ſuis ipſius theſauris nonnulla expromeret, duumviros ſceleratiſſimos *Cainum* et *Corachum* paucis memoravit. *Cainum* ſimiliter exempli cauſa attulit d. *Joannes* in ep. 1ma c. III, 12. *Corachi* in nullo alio loco N. T. facta eſt mentio, ſed ex Numer. XVI epiſtolae auctori et lectoribus Judaeochriſtianis ſane erat ſat notus.

9) Verſum *Judae* 12mum meximam partem e locis 2 *Petri* II, 13 et 17 veluti fonte ſuo derivatum eſſe, vel moroſior et iniquior huiusce rei arbiter diffitebitur. *Judas* ita ſcripſit:

„Οὗτοί εισιν εν ταις αγαπαις ὑμων σπιλαδες, συνευωχουμενοι αφοβως, ἑαυτους ποιμαινοντες· νεφελαι ανυδροι ὑπο ανεμων παραφερομεναι.

Petrus haecce v. 13:

„ἡδονην ἡγουμενοι την εν ἡμερᾳ τρυφην, σπιλοι και μωμοι, ἐντρυφωντες εν ταις ἀπαταις αὐτων, συνευωχουμενοι ὑμιν.“

et v. 17. ita:

„Οὗτοί εισι πηγαι ανυδροι και νεφελαι ὑπο λαιλαπος ελαυνομεναι.“

Iam ſi ad hoc ſolum intendas, per ſe probabilius eſt, Judam ex duobus Petri locis diſiunctis verſiculum ſuum compoſuiſſe, quam Petrum Judae dictum (v. 12.) diſiunxiſſe et tanquam diſiecta membra poetae duobus locis diſperſiſſe. Deinde voces, quibus, licet eundem fere ſenſum fundant, alter ab altero diſcedit, ſatius explicari poſſunt, ſi Judam Petri textum uſurpaviſſe atque e conſilio ſuo immutaviſſe exiſtimemus, quam ſi contrariam amplectamur ſententiam. Age, ſingula perpendamus: a) *Judas* ſcripſit: εν ταις αγαπαις ὑμων, *Petrus*: εν ταις απαταις αὐτων t). Quisque qui

t) Aliquot codd. (v. GRIESBACH et HAENLEIN adh. l.) praebent quidem in textu *Judae* απαταις, quam lectionem vero ſubſequente pronomine ὑμων

qui rem iuſte penſitaverit, intelliget, Judae facile ſubire potuiſſe, has voces απαταις αὐτων commutare cum illis αγαπαις ὑμων, vix vero Petrum in id incidere quiſſe, ut pro εν ταις αγαπαις ὑμων daret εν ταις απαταις αὐτων. b) Judas facile a voce σπιλοι (και μωμοι) tranſire poterat ad σπιλαδες; vox σπιλοι (*maculae* i. e. homines maculati) contextui parum conſentanea videbatur; σπιλαδες vero (*ſcopuli* i. e. homines periculoſi, quibus praeeuntibus et incitantibus alii corrumpi poſſent *u*)) ad ceteras, quae ſubſequuntur, tropicas dictiones (— νεφελαι - δενδρα - κυματα - αστερες) eſt accommodatius ſimulque ſenſum verborum in Petri textu parallelo mox (II, 14.) occurrentium δελεαζοντες ψυχας ασηρικτους, univerſe quidem, at egregie reddit. c) Prius cogitari poteſt, quomodo Judas verba Petrina (II, 17.): πηγαι ανυδροι και νεφελαι *x*) υπο λαιλαπος ελαυνομεναι — con-

ὑμων tolerari non poſſe apparet. Pariter in loco Petrino varians lectio αγαπαις reiicienda eſt, flagitante pronomine αὐτων, quod in omnibus codd. legitur. Subſtituerunt quidem nonnulli recentiores pronomen ὑμων ſed nulla idonea auctoritate adiuti. Exoriretur quoque ieiuna, immo ridicula ταυτολογια, ſi, ſubſequentibus verbis συνευωχουμενοι ὑμιν, legendum ſit εντρυφωντες εν ταις αγαπαις ὑμων. *Lutheri* verſio „ſie praſſen von *euren Allmoſen*“ alia ex cauſa tentari poſſet.

u) Similis dicendi uſus eſt apud veteres Latinos. *Cic.* (in Piſon. c. 18.) *Piſonem* et *Gabinium* geminas voragines *ſcopulosque* reipublicae appellat et *Floro* (in epit. IV, 9. init.) *Antonius* dicitur *ſcopulus* publicae ſecuritatis. Fuerunt, qui σπιλαδες Judae συνωνυμ. eſſe voci Petrinae σπιλοι iudicarent, provocantes ad Heſychium altero quidem ſcholio σπιλαδες, αἱ περιεχομεναι τῃ θαλασσῃ πετραι, altero autem μεμιασμενοι explicantem; at Heſychii textus multis mendis ſcatet, quare ſuſpicari licet, σπιλαδες eſſe corruptam lectionem pro σπιλοι forte e textu Judae enatam vel ipſe Heſychius hunc Judae locum ſpectavit atque a vero eius ſenſu aberravit.

x) In locum huius lectionis vulgatae νεφελαι non pauci teſtes veteres ſtubſtituunt ὁμιχλαι, quod MILLIUS in Prolegg. 985. probavit, GRIESBACHIUS vero et KNAPPIUS in textum receperunt. Ad noſtrum finem non eſt magni momenti, utram lectionem praeferamus. Fieri omnino potuit, ut Judas pro ὁμιχλαι, ſi vere ſcriptum fuerit in ep. Petrina, daret

νεφε-

contrahenda duxerit in: νεφελαι ανυδροι, ὑπο ανεμων παραφερομεναι y) quam quid Petrum commoverit, ut dictum Judae brevius et terſius in ea, quae dedit, verba diffingeret.

10) *Judas* in fine verſus 12. et prima parte v. 13, vehementiori forſan animi affectu incitatus tres novas imagines adiunxit: δενδρα φθινοπωρινα, ακαρπα, δις αποθανοντα, εκριζωθεντα· κυματα αγρια θαλασσης, επαφριζοντα τας εαυτων αισχυνας· αστερες πλανηται, — quae omnino egregie faciunt ad perditiſſimorum hominum cogitandi agendique rationem gravius et vividius deſcribendam. Quid ergo? Nonne Petrus, ſi praeeunte Juda ſuam exaraſſet epiſtolam, eosdem flores inſeruiſſet? Vidimus eum aliis locis uberioris ac vividioris adumbrationis amantiſſimum. — Judas vero has imagines, quas, ſi non earum conſociationem praeceptis rhetoricis parum congruentem, ſed eas ſingulas ſpectes, vel elegantiores dixeris, non ſui ingenii vi excogitaſſe, verum e variis V. immo et N. T. locis petiiſſe videtur. Homines probos *arboribus* frugiferis, improbos infoecundis et marcidis ſaepius comparari in ſacris litteris, eſt notiſſimum. Cf. Pſalm. I, 3. Jerem. XVII, 8. Matth. III, 10. VII, 17—20. Rom. XI, 17. A *mari* impetuoſo coenum exſpumante pariter ad turbulentorum hominum mores depingendos imago deſumitur Jeſ. LVII, 20.. quem locum ita reddidit Alexandrinus interpres: οἱ δε αδικοι ὡς θαλασσα ἑτως κλυδωνισθησονται και αναπαυσασθαι ου δυνησονται· και αποβαλλε-

νεφελαι, idque deinde complures librarii vel loco Petrino ingererent. Magis tamen quae eſt vera obſervatio cel. MATTHAEI in ed. N. T. maiori ad h. l., ὑπο λαιλαπος ελαυνομεναι convenit νεφελαις, quam ὁμιχλαις, quod poſterius forte originem duxit ex ſchol. gr. in edit. modo laudata p. 210. ita exhibito: αι εισι νεφελαι διαυγεις, ὡσπερ οἱ ἁγιοι, αλλ' ὁμιχλαι, τυτεστι σκοτος και γνοφος μεσοι cet. Aliud ſcholion, quo eadem exprimuntur, dedit MATTHAEI in ed. N. T, minori.

y) Hanc lectionem multorum teſtium παραφερομεναι tam contextui, quam Petrino ελαυνομεναι exactius reſpondentem recentiores N. T. editores BENGELIUS, GRIESBACH., MATTHAEI (cuius nota in ed. maiori conferenda eſt), KNAPPIUS vulgatae περιφερομεναι ſortaſſe ex Epheſ. IV, 14. huc translatae iuſte praetulerunt.

λεται ὁδωρ αυτης κατα πατημα και πηλον z). Doctorum denique comparatio cum *stellis* reperitur Dan. XII, 3. coll. Numer. XXIV, 17. Matth. XIII, 43, Apocal. XXII, 16. — Superest memorare, quod memoratu dignissimum est; verba, quae apud *Judam* in hoc ipso versu 13. post voces αςερες πλανηται sequuntur:

„οις ὁ ζοφος τȣ σκοτȣς εις αιωνα τετηρηται."

plane eadem apud *Petrum* in fine vers. 17. cap. 2di reperiri. Petrus ea simpliciter retulit ad ψευδοδιδασκαλȣς supplicium in aeternum passuros *a*). Judas ea eodem sensu adhibuit, verbis vero αςερες πλανηται tanquam peculiari subiecto, ut cum Grammaticis loquar, coniunxit eoque dedit contextum luculentiorem, quam qui in loco Petrino parallelo exstat. Ergone Petrus, si Juda praecedente scripsisset, una cum verbis οις ὁ ζοφος — τετηρηται binas quoque voces iis praemissas αςερες πλανητας assumsisset *b*)?

11) Versu 14. et 15. effatum *Enochi* ex libro apocrypho, qui veluti ab isto antiquissimo patriarcha profectus inter Hebraeos et Judaeochristianos circumferebatur, ad ψευδοδιδασκαλȣς scelestissimos aliquando in solemni orbis terrarum iudicio poena graviori afficiendos accommodavit hoc modo:

„Προ-

z) Sic in *Breitingeri* editione Alexandrinae versionis V. T. hic locus collatione codicis Alexandrini et exemplaris Vaticani a *Grabio* instituta bene ac textui hebraeo originali congruenter suppletus est. In edit. *Reineccii* secundum exemplar Vaticanum exhibita textus gr. est mancus et imperfectus.

a) Cf. ven. *Pottium* ad loc. Petrinum.

b) „Verum forte voces αςερες πλαν. oscitantia librariorum ante οις ὁ ζοφος cet. e textu Petrino exciderunt!" Audio. Si de textu auctoris profani ageretur, suspicionem probabilem esse haud negarem. At est textus sacer, qui ubi in infinita testium critic. veterum nube ne unicus quidem ullum corruptionis s. lacunae indicium praebeat, crisin coniecturalem excludit. (*Ephraem Syrus*, qui, quod supra p. 18 not. *x*) iam annotavi, maximam cap. 2di Petrini partem et totam Judae epistolam, libro suo graeco *adversus impudicitiam* inseruit, tam locum Petrinum, quam Judae talem attulit, qualem ceteri testes indeque nostrae edd. exhibent.) Est quoque textus Petrinus, ubi durior connexus offendere nequit. Cf. supra locum II, 3, ubi auctor pronomine οις eadem ratione usus est. Hoc nostro loco ita resolverim: τȣτοις, οι εισι (ὡς) πηγαι cet., — τετηρηται ὁ ζοφος cet.

„Προεφητευσε δε και τουτον εβδομος απο Αδαμ Ενωχ, λεγων· „„Ιδου, ηλθε κυριος εν μυριασιν αγιαις αυτου, ποιησαι κρισιν κατα παντων, και εξελεγξαι παντας τους ασεβεις αυτων περι παντων των εργων ασεβειας αυτων ων ησεβησαν, και περι παντων των σκληρων, ων ελαλησαν κατ' αυτου αμαρτωλοι ασεβεις.“ “ c) In

c) Inter excerpta, quae *G. Syncellus* ex libro Enochi *graece* dedit (v. *Grabii* Specil. T. I. p. 347 ſqq. *Fabricii* Cod. Pſeudep. V. T. Tom. I. p. 179 ſqq. et *Beiträge zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Religion*, faſcic. 2, ubi p. 146 ſqq. Syncelli excerpta theotiſce reddita ſunt) hic locus non reperitur, ac ſi eſſet repertus, forte e Judae textu putaretur interpolatus. Exſtat vero in exemplari aethiopico per ill. equitem *Bruce* Pariſios translato indeque nuper, quod iam ſupra p. 15 memoravimus, a cel. *de Sacy* cum aliis huius libri ſegmentis latine verſus edebatur. Jam l. c. maximam eius partem exhibui; ut vero accuratius cum noſtro textu graeco conferatur, hic totum locum adſcribam:

„Et venit cum myriadibus ſanctorum, ut faciat iudicium ſuper eos et perdat impios, et litiget cum omnibus carnalibus, pro omnibus, quae fecerunt et operati ſunt contra eum peccatores et impii.“

Diſſentiunt viri eruditi [e. gr. ven. *Vogel* (v. Neueſt. theol. Journ. 1803 Vol. I. p. 324) et ven. *Gabler* ibid. p. 452 ſqq], an exemplar illud aethiopicum idem liber ſit, quem *Judas* noſter hebraeo ſ. graeco ſermone legerit. Hunc ex aliquo libro *apocrypho* dictum attuliſſe, nullus inficias ibit, qui meminerit, Enochum dici εβδομον απο Αδαμ (Gen. V, 18) ideoque eum e priſca gente mortalium mythicaeque aetatis fuiſſe. Aſſeruerunt etiam expreſſe patres *Tertullianus* et *Hieronymus* locis ſupra in ſect. I adductis (*Sophronius*, quem b. *Schmidius* in Hiſt. antiq. et vindic. canon. p. 712 tertium teſtem affert, non niſi interpres graecus verborum Hieronymi fuit adeoque vix ſingulatim recenſeri poteſt), Judam in epiſt. ſuam ex *libro Enochi* (immo Hieronymus expreſſius l. c. ut et in comm. in cap. 1 epiſt. ad Titum dicit: ex *libro* Enochi *apocrypho*) teſtimonium transtuliſſe, hique patres Judae epiſtolam et librum Enochi comparare poterant. (Cf. quoque *Auguſtinum* de civ. D. XV, 23 et XVIII, 38 nec non ſcholium *Apollinarii* ex cat. Nicephori a cel. *Matthaei* in ed. N. T. maiori ad loc. Judae allatum.) Jam vero plura ſegmentorum ex aethiopico exemplari per ill. *de Sacy* latine redditorum cum excerptis graecis apud *G. Syncellum* tantopere concordant, ut ea ex eodem libro originem traxiſſe dubitari nequeat; *Syncelli* vero excerpta ſtilo et cogitatis ſatis conſentiunt iiscum, quae antiquiores patres gr. atque latini hinc inde ex libro Enochi retulerunt. (Vid. *Fabric.* l. c. p. 161 ſqq.) Quare ex mea quidem ſententia non eſt ut dubitemus, exemplar aethiopicum, licet paſſim mutilatum et interpolatum for-

ſan

In hisce non Petri auctoritatem atque exemplum, sed suam ipsius mentem secutus est (nam Petrus Enochi nomen aut effatum nusquam memoravit); sententiam tamen, quae allato Enochi vaticinio inest, ei praeiviſſe videtur Petrus verbis c. II, 9. supra nondum adhibitis:

„οιδε κυριος ευσεβεις εκ πειρασμου ρυεσθαι, αδικους δε εις ημερ. κρισεως κολαζομενους τηρειν.“

12) Verſu 16. *Judas* ψευδοδιδασκαλους ex peculiari ſua animi morumque eorum cognitione ornat nominibus γογγυσται et μεμψιμοιροι, quibus a Petro non ſunt inſignati. Senſus vero, quem in ſequentibus effecit et ipſa verba ſatis conſentiunt cum locis quibusdam in epiſtola Petrina, ita ut inde quoque hanc uſurpaviſſe exiſtimari queat. Dictionem enim κατα τας επιθυμιας αυτων πορευομενοι reperimus etiam 2 Petri III, 3., ubi ψευδοδιδασκαλοι appellantur: εν εμπαιγμονη εμπαικται, κατα τας ιδιας αυτων επιθυμιας πορευομενοι. (Cf. quoque 2 Petr. II, 10.) Cum verbis Judae in eodem verſu 16: και το στομα αυτων λαλει υπερογκα, θαυμαζοντες προσωπα, ωφελειας χαριν conferri merentur Petrina c. II, 18: υπερογκα — ματαιοτητος φθεγγομενοι δελεαζουσιν εν επιθυμιαις σαρκος — atque e verſu 14: καρδιαν γεγυμνασμενην πλεονεξιας εχοντες.

13) Memoratu dignior eſt et ad rem, de qua agimus, diiudicandam magis facit collatio verſuum *Judae* 17. et 18. cum dicto *Petrino* c. III, 1—3. *Illi* leguntur ita:

„Υμεις

ſan exiſtimandum ſit, cum exemplari, quod Judas noſter graecum ſ. hebraeum habuerit, eundem eſſe librum, praeſertim quum ſenſus quoque verbaque *ſexti* in ep. Judae *verſiculi* cum pluribus locis in libro illo Aethiopum apocrypho maxime congruant, immo ſint plane eadem. Cf. ſupra allata p. 31. 32. Auctorem libri apocryphi ex epiſtola Judae hauſiſſe (— quae eſſet contraria ſententia —), ea ex cauſa non fas eſt credere, quia mythus de angelis libidine in hominum filias incenſis atque inde e coelo in vincula detruſis in omnibus fere libri apocr. capitibus, qui huc usque innotuerunt, late regnat, in epiſtola Judae vero non niſi eſt delibatus. Effatum Pſeudo-Enochi, ab Juda v. 14. 15 intertextum, in libro abyſſinico locum ſuum commode tenere ac antecedentibus bene cohaerere, ita ut ex ep. Judae translatum putari nequeat, iam a cel. *Vogel* l. c. eſt obſervatum.

„Ὑμεις δε, αγαπητοι, μνησθητε των ρηματων των προειρημενων υπο των αποστολων του κυριου ημων Ιησου Χριστου· οτι ελεγον υμιν, οτι επ εσχατου χρονου εσονται εμπαικται, κατα τας εαυτων επιθυμιας πορευομενοι των ασεβειων.“

Verba *Petrina* haec sunt:

„— αγαπητοι — — διεγειρω υμων εν υπομνησει την ειλικρινη διανοιαν· μνησθηναι των προειρημενων ρηματων υπο των αγιων προφητων και της των αποστολων ημων εντολης του κυριου και σωτηρος· τουτο πρωτον γινωσκοντες, οτι ελευσονται επ' εσχατου των ημερων εν εμπαιγμονη d) εμπαικται, κατα τας ιδιας αυτων επιθυμιας πορευομενοι.“

Quis est, quin videat, Judam hic quoque dicta Petrina in usum suum convertisse? — Petrus copiosius et durius scripsit, Judas brevius et facilius. Ille si hunc secutus esset, sane non inseruisset verba, quibus durior et impeditior evaderet oratio, Judas contra, Petri textum ante oculos habens, id agere debebat, ut verba non desideranda omitteret eoque suum ipsius textum faceret acceptiorem. — Simul etiam posteriorem, qua degebat, aetatem, nisi omnia me fallunt, satis luculenter prodidit. Petrus enim verbis suis *non* indicat, *apostolos* sicuti etiam prophetas futurum haereticorum *adventum praedixisse*, sed ipse tantum hunc adventum v. 3. pariter ac antea c. II, 1. ex sua ipsius auctoritate denuntiat, versu 2. vero spectat eos prophetarum hebr. sermones, quibus Christum eiusque regnum divinasse existimandi sint (Cf. I, 19.), itemque praecepta (εντολην) religionis christianae ab apostolis, in quorum numerum se ipsum refert, (των αποστολων ημων) tradita e). Judas contra hic magis verba quam sensum

d) Verba εν εμπαιγμονη a vulgato textu absunt, sed a multis iisque gravioribus testibus antiquis suppeditantur indeque *Millio* et *Bengelio* probantur, a *Griesbachio* et *Knappio* autem ipsi textui sunt restituta. Faciunt tantummodo ad vim sententiae augendam nec est intelligere, quid librarium s. posteriorem aliquem lectorem ad ea suo arbitratu adiicienda movere potuerit.

e) Omnino durissimus est ordo verborum l. c. (2 Petr. III, 2.): μνησθηναι — — της των αποστολων ημων εντολης του κυριου και σωτηρος. Quare non est mirandum, criticos vel alia versiculi 2 et 3 distinctione (v. *Dan. Heinsii* sacr. exercitt. ad N. T. p. 613) vel lectionis mutatione vel

ſum Petri ſublegens, ipſos apoſtolos (et de his *universe* loquens) adventum haereticorum praedicentes facit *f*). Ceteroquin apoſtolos ita memorat, ut ſe ipſum ex eorum claſſe excludere videatur. Quid enim? Ipſe ſupra v. 4. et ſqq. graviſſime monuit de errorum ſcelerumque ſectatoribus, qui iam in publicum erant egreſſi, h. l. vero (v. 17. 18.) provocat ad effata apoſtolorum, quibus nefarii olim in coetibus chriſtianis exorituri praedicebantur. — Immo quod Judas ſimpliciter ſcripſit: των προειρημ. υπο των αποστολων του κυριου ημων I. X., tanto magis offendit, quum apud Petrum expreſſe exſtet: των αποστολων ημων *g*). Vana ergo ſunt, quae b. Morus *h*) ſuſpicioni oppoſuit, iam ab aliis e verſu 17 iniectae *i*). — 14)

vel verborum transpoſitione (v. *Wolfii* Curas ad h. l. et *Bowyerii* coniecturas in N. T. a *Schulzio* theotiſce redditas p. 581) medelam afferre voluiſſe. Quodſi locus eſſet auctoris graeci profani, coniicerem, duos lectt. variantes confluxiſſe, ita ut genuine ſcriptum ſit vel της εντολης ημων των αποστολων vel της εντολης του κυριου και σωτηρος ημων. Jam vero quum in hoc textu ſacro omnes quicunque teſtes critici veteres eundem verborum numerum et ordinem tueantur, noſtrum eſt, ut eodem acquieſcamus. Verba ſunt vel ea ratione interpretanda, qua ſupra ſenſum indixi vel ſic reſolvenda: της εντολης ημων των αποστολων του κυριου και σωτηρος — „(memores ſitis —) praeceptorum, quae nos apoſtoli domini et ſervatoris vobis tradidimus.“ Verſio vener. *Stolzii* — „*Eure eingedenk* (?) ſuchte ich die *Aufträge* des Herrn und Beſeligers *an uns*, ſeine Geſandten, bei euch *in friſches Andenken zu bringen*“ — dubito an omnibus modis probanda ſit.

f) Citavi ſupra p. 29 loca epp. Joannis et Pauli, quae forte una cum aliis librorum deperditorum Judas reſpexit.

g) Sunt quidem haud pauci teſtes critici, qui pro lect. vulgari ημων praebeant υμων idque cel. *Matthaei* in textum recepit, at valde dubito, an primarii illi apoſtoli ab ipſo ſervatore e discipulorum turba ſelecti ullo loco dicti ſint αποστολοι εκκλησιων. Loca 2 Cor. VIII, 23. Phil. II, 25 non huc faciunt. Librarii in hoc contextu a vera lectione ημων facile aberrare poterant ad υμων. *Grotium*, qui ne hypotheſi ſuae quid adverſi accidat, utrumque et ημων et υμων tanquam ſpurium textu eiiciendum cenſuit, iam ſcite refutarunt *Nietzſche* l. l. p. 66 ſqq. et *Pott* in Prolegg. p. 182.

h) *Erklärung* des Briefs Pauli an die Römer und *des Briefs Judä*, nach den Vorleſungen des D. *Morus* (Lipſ. 1794. 8) p. 301.

i) Miror, neminem ad apoſtolicam Judae auctoritatem vindicandam cpniecisse, vo-

14) Versus *Judae 19*:

„Οὗτοί εἰσιν οἱ ἀποδιορίζοντες, ψυχικοί, πνεῦμα μὴ ἔχοντες“

est postremus, quo in haeresium sectatores invehitur isque in Petrina epistola non legitur. *Petrus* in versibus, qui dictum antea (§. 13.) collatum subsequuntur (c. III, 4—13.), in id excurrit, ut eam τῶν ψευδοδιδασκάλων sententiam, qua Jesum Christum ad extremum iudicium de hominibus habendum adventurum esse dubitarent, probe refellat. Haec omnia Judas seponenda esse credebat; addenda vero erant nonnulla, quibus dictum apostolorum modo allatum ad falsos doctores iamiam in publicum egressos transferretur, haecque (pauciſſima verba) ex suo ipsius ingenio depromsit. Ad sensum vocis ἀποδιορίζοντες (intell. qui a coetu vere christiano alios segregant et erroribus vitiisque suis inficiunt *k*).) conferri tamen possunt quaedam dicta Petrina c. II, 1. 14. 18.

15) *Judae* verba v. 20., quibus ad epistolae finem perducit:

„Ὑμεῖς δέ, ἀγαπητοί, τῇ ἁγιωτάτῃ ὑμῶν πίστει ἐποικοδομοῦντες ἑαυτούς“

sensu suo concordant loco *Petrino* c. III, 17. 18:

„Ὑμεῖς οὖν, ἀγαπητοί, — — αὐξάνετε — ἐν χάριτι καὶ γνώσει τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ“

et verba *Judae* v. 21:

„ἑαυτοὺς ἐν ἀγάπῃ θεοῦ τηρήσατε, προσδεχόμενοι τὸ ἔλεος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ζωὴν αἰώνιον“

in eandem sententiam tendunt, quam *Petri* dicta c. III, 12:

„(δεῖ ὑμᾶς ὑπάρχειν) ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς καὶ εὐσεβείαις! προσδοκῶντας καὶ σπεύδοντας τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ θεοῦ ἡμέρας“

item-

voculam ἡμῶν ante τοῦ κυρίου collocandam esse, quod loco parallelo Petrino omnino magis responderet, sed voculae ab omnibus testibus antiquis locus, quem in textu nostro tenet, assignatur, ergo minime est sollicitanda.

k) In vulgato textu ad οἱ ἀποδιορίζοντες additum legitur ἑαυτούς, quod si servetur, alius sensus enascitur; at deest in plurimis codd., antiquis edd., versl. et patribus, unde a *Bengelio* et *Matthaeo* est, eliminatum, a *Griesbachio* vero signum, quod indicat probabilem omissionem, appositum. Videtur e versu sequente vel e versione Alexandr. loci Esaiae XLV, 24 insertum.

itemque c. III, 14:

„ταυτα προσδοκωντες σπουδασατε ασπιλοι και αμωμητοι αυτω (θεω) ευρεθηναι εν ειρηνη"

exhibent. Largior quidem, *Judam* vel epistola Petrina minime in subsidium vocata talem adhortationem adjicere potuisse; quum vero frequens usus, quem ex Petrina petiit, aliunde constet, non veri dissimile est, nisi oculis, certe animo eius, illa dicta Petrina obversata fuisse, quum versiculos 20. et 21. scriberet. Versu autem 22. et 23. *l*) omnino ex sua peculiari eorum, qui erroribus vitiisque alii aliter dediti erant, cognitione, pauca admonuit, quae in ep. Petrina haud reperiuntur. Sunt vero verba postrema:

„μισουντες και τον απο της σαρκος εσπιλωμενον χιτωνα"

eiusmodi, ut vix haberi possint pro ornamento, quo Judae epistola praecellat Petrinam. *m*).

16)

l) Insignis est lectionis varietas, quae maximam eamque priorem horum versuum partem vexat. Equidem cum *Bengelio, Griesbachio, Moro, Haenleinio* praetulerim: και ους μεν ελεγχετε διακρινομενους· ους δε σωζετε εκ του πυρος αρπαζοντες· ους δε ελεειτε εν φοβω, licet sic a vulg. textu valde discedatur. Eandem lectionem iam adoptavit *Ephraemus Syr.* (in lib. cit. *adv. impudicitiam* p. 63), nisi quod pro ελεειτε dedit ελεατε. Voces εν φοβω non desiderarentur, si a textu abessent. Fortasse sunt non nisi glossema olim ad verba εκ πυρος αρπαζοντες adscriptum.

m) Non ignoro, tam veteres (v. Scholia graeca in cel. *Matthaei* ed. N. T. maiori), quam recentiores interpretes (v. *Herderi* libr. cit. p. 86) *Rosenmülleri* Scholia et *Haenleinii* commentar.) varia tentasse, ut talem verborum sensum constituerent, quo lectores offendi nequeant; at mihi quidem quaevis interpretatio, qua locutio τον απο της σαρκος εσπιλωμενον χιτωνα pro hyperbolica s. tropica sumatur, iusto audacior altiusque petita videtur. Loca ab interpretibus adducta Rom. XIII, 12—14. Apocal. III, 4. XIX, 8 nil vere probant. Nec scio, quid veri auxilii locus Sacchariae III, 2—4 afferat. Nonne Judae, si ad hunc se accommodare voluisset, certe: μισουντες και την αμαρτιαν (s. ανομιαν) ως χιτωνα εσπιλωμενον scribendum fuisset? At prorsus dubito, ei locum prophetae ante oculos seu in animo fuisse; quodsi enim fuisset, nonne ex versu eius 1 et 2 exemplum altercationis inter Satanam et Jovae angelum (v. 2. verba ויאמר יהוה resolvenda esse in ויאמר מלאך יהוה, quisque tatch-

16) *Judae* denique versiculi 24. et 25., qui δοξολογιαν eique intertextis precibus epistolam ita claudunt:

„Τῳ δε δυναμενῳ φυλαξαι ὑμας απταιστους, και στησαι κατενωπιον της δοξης αυτου αμωμους εν αγαλλιασει, μονῳ (σοφῳ) θεῳ σωτηρι ἡμων (δια Ιησου Χριστου του κυριου ἡμων) δοξα και μεγαλωσυνη, κρατος και εξουσια, και νυν και εις παντας τους αιωνας! Αμην.“

continent omnino nonnulla, quae animum eius, qui recens erat a legenda epistola Petrina facile subire poterant; ad versum enim Judae 24. haud iniuste conferri queunt, praeter locum 2 Petri I, 10. verba *Petrina* c. III, 17:

„φυλασσεσθε, ἱνα μη τη των αθεσμων πλανη συναπαχθεντες, εκπεσητε του ιδιου στηριγμου“

atque ex eiusdem capitis versu 14. iam supra allata:

„σπουδασατε — αμωμητοι η) αυτῳ ευρεθηναι:“

et dictis Judae extremis v. 25. consplrant verba ep. Petr. extrema (III, 18):

„αυτῳ ἡ δοξα και νυν και εις ἡμεραν αιωνος! Αμην.“

Memor tamen verae observationis cel. KNAPPII supra p. 8. not. o. exhibitae, ab *ista* sensus verborumque in fine utriusque epistolae congruentia grave argumentum peti non posse, lubens concedo o).

Ab-

intelliget, qui contextum perpenderit, cf. v. 1. 3. 4. 6) usurpare maluisset, quam id, quod v. 9 ex fonte impuriori dedit? Certe credere licet, eum utraque exempla coniunxisse. (Ceterum non a probabilitate abhorret, visionem *Sachariae* l. c. ad posteriorem mythum de altercatione propter corpus Mosis defuncti orta effingendum ansam dedisse.) Locutionem Judae (eodem versu 23) εκ του πυρος αρπαζειν non est ut ex loco Sachari. III, 2 manasse putemus; ea enim erat proverbialis (Cf. Amos IV, 11. 1 Cor. III. 15) et profanis auctorr. quoque in usu fuit, quod iam *Wetstenius* aliique probaverunt.

n) Nonnulli testes critici praebent αμωμοι.

o) Forma, qua Judas δοξολογιας thesin (v. 24. 25.) construxit, existimari potest et a nonnullis interpretibus vere existimatur ex fine epistolae Pauli *ad Romanos* c. *XVI*, 25—27. traducta, ubi similiter legitur: Τῳ δε δυναμενῳ ὑμας στηριξαι — — — — μονῳ σοφῳ θεῳ, δια Ιησου Χριστου, ῳ ἡ δοξα εις τους αιωνας! Αμην. (Constat inter criticos, tres hosce versiculos non ab omnibus testibus antiquis

Abſolvi accuratiorem ſingulorum verſuum ſ. commatum, quae in utraque epiſtola plus minusve conſimilia ſint, collationem indeque (dummodo haud in uno alterove loco, ubi res non extra omnem dubitationem poni poteſt, perſiſtas, ſed potiores, quae inter utramque epiſtolam intercedunt ſimilitudines, coniunctim reputes) luculentiſſime apparere puto, non Petrum, ſed Judam alterius epiſtolam in uſum ſuum convertiſſe. Judicarunt quidem nonnulli, textum ampliórem non poſſe, quin pro iuniori habeatur ideoque epiſtolam Petrinam tanquam παραφρασιν epiſtolae Judae exiſtimandam eſſe poſteriori tempore ſcriptam. At ſententia, cui iſtam concluſionem ſuperſtruunt, multum abeſt, ut ſine ulla exceptione accipienda ſit, ut potius contrarium ut frequentius omnino iuſte contendi poſſit. Nonne enim aliquis bono conſilio alius auctoris vel ſuum ipſius ſcriptum uberius in breviorem libellum contrahere ſ. diffingere poteſt? Quis eſt, qui neſciat, huiusmodi exempla antiquiori aetate haud defuiſſe *p*), multoque

quis exhiberi poſt c. XVI, 24, ubi in vulgg. edd. leguntur, ſed a multis *ad finem c. XIV.* ſubiunctos eſſe, ubi etiam in quibusdam edd. recentior., e. gr. GRIESB. et MATTHAEI inſerti ſunt. Varietas originem duxiſſe videtur ex duplici epiſtolae recenſione ſ. editione ab ipſo apoſtolo adornata. Sed non huius eſt loci, rem fuſius exponere ac illuſtrare.) Fieri certe potuit, ut ex iſto loco parallelo in δοξολογιαν Judae nonnulli librarii deſumerent vocem σοφῳ, quae in vulgg. editt. inter μονῳ ac θεῳ reperitur, a criticis recentt. vero, quoniam a permultis teſtibus antiquis omittitur, (v. *Griesb.* et *Haenlein.* ad h. l.) e textu ejecta eſt. Fortaſſe verba quoque διὰ I. X. τοῦ κυρίου ἡμῶν, quae quidem a textu vulgato abſunt, in multis codd. vero, verſionibus antiquis cet. poſt σωτῆρι ἡμῶν inſerta exſiſtunt, indeque a recentioribus quibusdam (e. gr. *Griesbachio*, *Knappio* et *Haenleinio*) in textum recepta ſunt, ex loco Rom. XVI, 27 coll. 2 Petr. III, 18 irrepſerunt.

p) Nolo commemorare, *Trogi Pompeii* libros hiſtoriar. ab *Juſtino* in compendium eſſe redactos atque *Cornelii Nepotis* vitas excellentium imperatorum probabiliter non tales ſupereſſe, quales ipſe conſcripſit, ſed a poſteriore quodam auctore (fortaſſe *Aemilio Probo*) paſſim breviatas ac mutatas. Exemplum forte accommodatius praebent *Theophraſti* Characteres, qui in compluribus codd. indeque et edd. usque ad Siebenkeeſianam et Schneiderianam breviati et mutilati exſtant, e cod. Palatino-Vaticano autem plenióri atque integriori forma prodierunt, quam antiquiorem eſſe

toque plura in recentiori aevo obveniſſe? Quid? Vates etiam V. T., *Jeremias*, quem ex antiquiorum prophetarum oraculis ſaepius nonnulla in ſua transtuliſſe conſtat, ex *Obadiae* oraculo in Edomitas verſus 1—4 non verboſius, ſed contractius reddidit cap. XLIX, 14—16 *q*). Sequitur ergo, eos, qui Judam ex Petrina ep. hauſiſſe putant, minime accuſandos eſſe, tanquam opinioni faverent, quae iam per ſe ab omni probabilitate abhorreret. Accedit, ut Judas, licet plurimum, tamen non ſemper Petri ſenſum atque enunciata breviaverit, ſed interdum potius (v. ſupra p. 31. 42.) ampliaverit. Auctor contra epiſtolae Petrinae, ſi Judae ſcriptionem ante oculos habuiſſet atque in ſuum libellum transferre voluiſſet, non dubitari poteſt, quin rem aliter aggredi atque aliter perficere debuiſſet.

Hoc loco opportunó ſequenti quoque ratione argumentari poſſe mihi videor. Num cogitari licet, auctorem, qui locos in ep. Petrina vi ſententiarum ad conflantem virtutis amorem excitantium inſignes c. I, 3—11 et c. II, 19—21 tam nervoſe ſcribere egregiamque ſententiam c. III, 13, quae ad animum *r*) recreandum maxime valet, mente percipere potuit, huncce aio, eam epiſtolae ſuae partem, qua in ψευδοδιδασκαλους vitiis contaminatos invehitur, ex alio libello deſumſiſſe? — Quid? Si ab ipſo apoſtolo Petro ſecundam epiſtolam, cui nomen eius eſt inſcriptum, revera profectam eſſe conſeamus, quod vel iis lectorum noſtrorum, qui huc usque dubitaverint, per argumenta infra in ſect. quinta exponenda perſuaſum iri ſperamus, num credere licet, — id contra eos (e. gr. HERDERUM *s*)) potiſſimum moneo, qui ipſum Petrum apoſtolum Judae epiſtolam compilaſſe contenderunt — num vel minimam probabilitatis ſpeciem habet, huncce apoſtolum, quem ex pri-

et ad textum auctoris originalem propius illa breviata accedere, inſte dubitari nequit. Vid. *Schneideri* praef. ad edit. maiorem (Jenae 1800) p. XXIII nec non *Ephemeridd. univerſ. literar.* a. 1798 N. 339.

q) Non Jeremiae, ſed potius Obadiae oraculum pro antiquiori atque archetypo habendum eſſe, egregie demonſtravit Ill. *Eichhorn* in Introduct. in V. T. Vol. 3. §. 572.

r) — maxime eorum, qui vel ipſi duriori fortuna innocentes conflictantur vel certe rerum humanarum conditione haud raro perverſitatis ſpeciem prae ſe ferente mirum in modum percelluntur. —

s) *Briefe zweener Brüder Jeſu in unſerm Kanon* p. 72. 73. 76.

priori epistola indubitata atque orationibus, quae a Luca actibus apostolorum insertae leguntur, ut etiam ex tota vitae eius historia virum alacritate ingenii, fervore eloquentiae (tantum non eius, quae in rhetorum scholis comparari poterat), eximiaque doctrinae Jesu Christi cognitione maxime pollentem nec facile ab aliorum auctoritate pendentem novimus, num credere licet, hunc in re leviuscula exponenda ad exemplum auctoris fugisse, qui opusculo suo nec ingenii praestantiam nec πνευματικωτερων rei christianae γνωσιν probavisse videtur t). Denique num *Petrus* putari potest, sermonem vehementiorem, quo in scelestissimis διδασκαλους describendis s. perstringendis uti voluit, non tam ex suo pectore facile aestuante, quam ex alius auctoris libello edidisse? — —

Quodsi argumentorum in hac secunda sectione expositorum serie atque compage evicimus, non Judae, sed Petrinam epistolam pro alterius fonte et αρχετυπω existimandam esse, ad huiusce auctoritatem externis, quae dicunt, testimoniis firmandam magnum simul addidimus pondus. Quum enim epistola Judae iam secundo seculo in regionibus terrarum orientalium ac occidentalium haud dubitanter nota fuerit (v. supra sect. 1 main), Petrinam utpote prius scriptam liquet, seculo secundo, ne dicam primo exstitisse.

Ve-

t) Non vereor, ne mihi obiiciatur *Herderi* auctoritas, qui olim l. c. in hanc declamationem excurrebat: „Der kurze *maiestaetische* Brief *Judas*, Ein Stück von Anfang bis zu Ende, mit dem ersten Buchstaben zweckmäßig angelegt und mit ieder Geschichte, selbst ieder apokryphischen Geschichte streng und würdig unterhalten. — — Ein starkes, gedrängtes Gemälde, das ieder fühlen muß, (durch *Petrus*) gemeiner gemacht, von ein paar schweren Stellen geläutert, eingeleitet, umschrieben, erweitert. Siehe da die Auflösung, würdig für beide Seiten. Wer Gefühl hat (!), den ersten starken Zusammenhang der Urschrift und die lauern, behutsamern (?), aufgelösteren (?) Züge der Paraphrase zu erkennen, der lese, und er wird keinen Augenblick zweifeln. Da hängt der kühne, treffende Umriß mit Einem Federzuge; dort das ausgemalte reichere Nachbild. Jenes entwarf der feuervolle Jüngling: dies führte der reifere Mann aus.“ Mirum! Scribendi genus in Judae epistola est facilius, planius, clarius, in Petrina obscurius, impeditius, audacius, quod ex collatione locorum parallelorum lucide apparere puto; quare illa non tanquam opus ferventioris ingenii, haec non tanquam paraphrasis sensum archetypi explanans cogitari potest,

Verum omnino mirari licet v), quod epiſtola, quae *Petri apoſtoli* nomen in fronte habet, in antiquiori eccleſia ſerius auctoritatem conſecuta ſit, quam epiſtola Judae quidem, non tamen tanquam apoſtolo adſcripta. Epiſtola Petrina non ſolum ea fere omnia, quae in Judae ep. leguntur, (ſi mythica quaedam ex noſtro quidem ſenſu minime deſideranda excipias) comprendit, ſed etiam cap. 1 et 3. multa alia offert, quae ad praeſtantiora doctrinae chriſtianae capita illuſtranda egregie faciunt; unde ergo fieri potuit, ut ſcriptum, quod multis modis alteri praeferendum videatur, huic revera poſtponeretur, aut — diſtinctius loquar — *αυθεντια* eius a compluribus patribus antiquis in dubium vocaretur? Res ſane digna eſt, quae in ſectione ſequenti penſiculatius exigatur.

v) Cf. *Verſuch einer Beleuchtung der Geſchichte des iüd. und chriſtl. Bibelkanon's*, Vol. 2. p. 290. 91.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Explicantur cauſae quaedam probabiles, quae effecerint, ut poſterioris epiſtolae Petrinae a vetuſtioribus patribus eccleſiaſticis vel nulla vel non niſi ſuſpectae mentio fieret.

Sane exoptatiſſimum eſſet, ut ipſi veteres, qui ſe vel alios de ἀυθεντια epiſtolae Petrinae poſterioris dubitare ſignificaverunt, ſimul rationes cauſasque diſtincte et fuſe expoſuiſſent, quibus ipſi vel alii inniterentur. At plures dubitationem tantum nude memorarunt et alii non niſi leviter obiterque rationem quandam attulerunt. Quare nobis acquieſcendum eſt fere in ſolis ſuſpicionibus, quas tamen non ab omni veriſimilitudine remotas eſſe crediderim.

1) Plures veteris eccleſiae patres dogmaticis rationibus commoti de ἀυθεντια epiſtolae Petrinae dubitaſſe videntur; iis forte quaedam loca offendiculo erant, quippe quae liberaliori ſenſu expendere negligebant. Sic patet ex brevi *Didymi Alexandrini* enarratione in epiſtolam Petr. poſteriorem x) ſupra iam memorata, *multis* ea, quae c. III, 7. 10. 13. de coelis terraque aliquando igne perituris et de novo coelo terraque exſpectanda leguntur, mira viſa fuiſſe. (Utrum ipſe *Origenes*, ſeculum circiter ante *Didymi* aetatem Alexandriae degens, cum *Philone*, Judaeo *Alexandrino*, quem *de incorruptibilitate mundi* ſcripſiſſe conſtat, quoad ſententiam de mundo haud interituro conſenſerit igiturque in iisdem cap. tertii locis offenderit, quae erat b. MICHAELIS y) ſuſpicio, vix erit diiudicandum. Equidem iam ſupra indicavi, veram Origenis de ἀυθεντια epiſtolae Petrinae poſte-

x) Cf. *Gallandii* Biblioth. patrum Tom. VI, p. 294.
y) *Einleitung in die göttl. Schriften des N. B.* §. 258.

posterioris sententiam non extra dubitationem poni posse.) Verum enim vero quamvis dogma illud de mundi exitio non necesse sit, ut pro articulo fundamentali habeatur z), tamen non est, cur ab epistolae auctore adoptatum miremur. Erat inter veteres Graecos et Romanos commentum *de exustione mundi* olim eventura, quamvis forte non latissime creditum, tamen divulgatum a). Notus est locus *Cicer. de natura Deorum* II, 46.: „Ex quo eventurum nostri putant —, ut *ad extremum omnis mundus igneſceret*, cum humore consumto, neque terra ali posset neque remearet aer, cuius ortus, aqua omni exhausta, esse non posset; ita *relinqui nihil praeter ignem*" cet. b). Immo et ipse salvator apud evangelistas de coelo terraque interituris (Matth. XXIV, 35. Marci XIII, 31. coll. Ps. CII, 26. 27.) ut, et de subitis siderum atque elementorum sub mundi finem mutationibus (Matth. XXIV, 29. Marci XIII, 24. 25. c)) commemoravit. Diu ante vero pius vates

z) Constat, vel recentioribus nonnullis, e. gr. auctori commentationculae: „*Ueber eine bevorſteh. Veraenderung der Erde*" — quae in cel. HENKII *N. Magazin für Religionsphil., Exegeſe* cet. Vol. 3. fascic. 2. inserta exstat, maxime probabile visum esse, mundum aliquando igne esse interiturum. Dicit auctor cit. (p. 348): „*Vorbereitungen und Materialien zum allgemeinen Erdbrande ſind ſchon vorhanden*" sqq.

a) Excogitatum, ut videtur, ab antiquissimo Philosopho Ephesio, *Heraclito* („δοκει αυτω, εκ πυρος τα παντα συνεστανα και εις τουτο αναλυεσθαι" — *Diogen. Laërt.* lib. IX, s. 6. coll. *Clemente Alex.* in Strom. V, p. 599 ed. cit.) inter placita *Stoicorum*, non omnium tamen, receptum erat. Cf. *Stobaei* Eccl. phys. Vol. I. p. 312 et p. 414 ed. *Heeren. Plutarch.* de rep. Stoic. p. 1075. *Cic.* Acad. qu. IV, 38. *Senec.* natur. qu. III, 13 et 28 extr. E recentioribus historiae philosophiae enarratoribus conferri possunt: TIEDEMANN *System der Stoiſchen Philoſophie* P. II, p. 99 sqq. Eiusd. *Geiſt der ſpeculativen Philoſophie*, Vol. II. p. 466 sqq. et TENNEMANN *Geſchichte der Philoſophie*, Vol. IV, p. 67.

b) In eandem sententiam etiam spectare videntur elegantissimi versus *Ovidii* in Metamorph. I, 256:

> Esse quoque in fatis reminiscitur, adfore tempus,
> Quo *mare*, quo *tellus*, *correptaque regia coeli*
> *Ardeat* et mundi moles operosa laboret.

c) Digna sunt, quae cum dictis παντες conferantur, verba *Senecae* de consolat. ad Marc. c. 26 in fine: „Cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus exstinguat, viribus ista se suis caedent et *sidera sideribus incurrent* et *omni flagrante materie*, *uno igne quicquid nunc ex dispoſito lucet*, *ardebit*."

vates hebraeus, qui poſtrema collectionis oraculorum *Jeſaianae* capita concinnavit, c. LXV, 17. LXVI, 22. futuram aetatem felicissimam nova insigniori imagine adumbraturus, Jehovam de condendo novo coelo novaque terra loquentem fecit *d*). Liquet ergo, Petrum apoſtolum, qui Chriſto aſſiduus fere auditor aderat et in priori quoque ep. librorum V. T., inprimis oraculorum Jeſai. gnarum ſeſe oſtendit quemque etiam extra Palaeſtinam, in provinciis Aſiae minoris (1 Ep. I, 1. *Euſeb.* H. E. III, 1.), immo et aliquamdiu Romae *e*) commoratum eſſe vix negari licet, facile in id incidere potuiſſe, ut inſolentiores rerum converſiones, quae παρουσιαν Chriſti ab haereſium ſectatoribus in dubium vocatam praeiturae ſ. comitaturae eſſent, illo modo (c. III, 7. 10. 13.) memoraret. — Sic fortaſſe in aliis quoque locis veteres, praeconcepta opinione detenti προσκομματα inveniebant, indeque — iniuſta cauſa — epiſtolam tanquam ſpuriam reiiciebant vel certe conſulto in ſcriptis ſuis non allegabant, ne ſi amplius innoteſceret fieretque uſitatior, lites exorirentur de his illisve momentis in epiſtola obviis.

2) Nonnullis patribus fortaſſe ea de cauſa in ſuſpicionem νοθειας vocabatur epiſtola, quoniam argumento ſuo a priori Petrina maxime differt. Verum iſta quoque ſuſpicionis ſ. dubitationis ratio eſſet omnino vana putanda. Apoſtolus enim aut conſulto ea, quae de ψευδοδιδασκαλοις in Aſia minori ſubrepentibus dicenda erant, in ſingularem epiſtolam reſervavit, aut demum priori epiſtola dimiſſa de ſummo periculo, quod, timendum eſſet, ne illi homines errorum veneno morumque pravitate coetibus chriſtianis inferrent, certior factus conſilium cepit ſecundam epiſtolam ſcribendi, qua eosdem lectores moneret, ne a veritatis virtutisque via abduci ſe paterentur, ſed potius ſinceram animi indolem (c. III, 1. 2.) doctrinae traditae conſentaneam probe ſervarent.

3) Complures patrum ad opinionem lapſi erant, ſtilum in utraque epiſtola maxime eſſe diverſum indeque poſteriorem Petro abiudicabant. Id non tam ex ſuſpicione tenendum, quam ex ipſo veteri teſtimonio. *Hieronymus* enim in loco ſupra p. 18 adducto ait: „Secunda a plerisque Petri eſſe negatur propter ſtili cum priore diſſonantiam.“ Hanc rationem omni vera

d) Eiusdem ſententiae ſ. imaginis veſtigia etiam in ep. ad Hebraeos c. XIII, 14. cernuntur; auctor apocalypſeos vero (c. XXI, 1) eam pleniſſime a vate hebraeo adſumſiſſe videtur.

e) Vid. *Euſeb.* H. E. II, 25. ibique teſtimonium *Dionyſii*, Corinthiorum epiſcopi, qui ſec. II. vivebat.

vera vi esse destitutam, iam alii ostendere conati sunt moxque ipse (in sect. quarta) uberius ostendere conabor. Opinione vero semel animis insidente, explicatius est, quare alii in scriptis suis epistolam minime usurpaverint, alii eam veluti suspectam et dubitatam memoraverint.

4) Quum epistola Judae et Petrina posterior argumento et dictione similimae sint, fieri potuit, ut iam in primis seculis nonnulli solummodo alteram pro genuina, alteram vero pro spuria sumendam esse intelligerent. Ut vero Judae opusculum praeferrent, fecerunt vel brevitate eius commoti vel singulari mythorum in ea occurrentium amore detenti *f*), vel quod Judae descriptio haereticorum, in quibusdam locis acrior Petrina, forte posteriori aetate ad homines ab ecclesia et disciplina vere christiana digressos accommodatior videbatur. Accedebat fortasse etiam unum alterumve argumentorum paulo ante (nr. 1. 2. et 3.) expositorum.

5) Epistola Petrina forte omnino non statim in publicum prodiit, sed diu in abscondito iacuit, ita ut a primi seculi patribus, immo et per plurimos secundi sec. annos usurpari atque commemorari prorsus nequiverit. Eam ob causam vero, quod apud patres antiquiores nullum eius indicium aderat, forsan seriorum quoque plures, quibus in promtu erat, eam in usum suum convertere noluerunt; nonnullos quoque, suspicari posses, potissimum ob id ipsum γνησιοτητα eius impugnasse sicque facile fieri potuisse, ut in classem των αντιλεγομενων referretur. Causae, quae impediverint, quo minus maturius innotesceret, cogitari possunt multae. Fortasse epistola Romae a Petro scripta est paulo ante eius mortem (cf. c. I, 13. 14.) et defuit opportunitas eam mox in Asiam ad eos coetus christ., quibus destinata erat, mittendi *g*). Aut presbyteri et episcopi eam, praesertim si sero, Petro iam vita defuncto, afferretur, vel ex sola negligentia vel rationibus permoti cum ecclesiis communicare cunctati sunt. Jam aliis *h*) observatum est, ex dicto Paulino 1 Thess. V, 27 colligi posse, apostolorum epistolas interdum ab iis, quibus tradebantur, esse suppressas, ita ut coram coetu christ. non recitarentur. Oratio vehementior et acerbior, quae in cap. tertio regnat, forte eo loco et tem-

f) Cf. quod supra p. 9 diximus de *Tertulliano*.

g) Epistolam, si genuina sit, ad christianos in iisdem provinciis asiaticis scriptam esse, quibus prior Petrina (c. I, 1) destinata erat, omnes fere interpretes propter locum c. III, 1. (ep. poster.) acceperunt.

h) *Nietzsch* l. c. p. 13 et *Pott* in Prolegg. p. 162.

tempore, quo primo afferebatur epistola, non convenire visa est. Aut contentio et partium studium, quo christiani in Asia minori, alii Petri, alii Pauli disciplinae addicti (1 Cor. I, 12. IX, 1 sqq.), nonnunquam agitati fuerunt, effecit, ut presbyteri epistolae Petrinae, in qua c. III, 15. 16 Pauli honorifica mentio fit, si non recitationem in ecclesia, ad quam prius missa erat, tamen ad exteros divulgationem et usum frequentiorem cohiberent. Quid? Ipsi ψευδοδιδασκαλοι in ecclesia, ad quam prius perferebatur, fortasse tanta vi atque auctoritate pollebant, ut eam saltem in plures annos supprimerent. Vel ecclesiae, ad quas deinceps ab ea, quae prius acceperat, mittebatur, non erant tali errorum vitiorumque contagio inquinatae, ut presbyteri epistolam, quae offensam subire posset, describendam et publice praelegendam duxerint. — Si quis dicturus esset, mirum videri, quod non eaedem rationes pariter impedimento fuerint, ne epistola Judae mature divulgaretur, respondere licet, hanc forte aliis in terris alioque tempore prodisse in publicum, ita ut illico faventiores reperire posset lectores.

Quamquam me in his exponendis duntaxat in suspicionum campo versari non diffitear, immo supra iam confessus sim, tamen id certe eviciisse puto, eos non audiendos esse, qui inde quod patrum primi et secundi seculi nullus indubitanter testis epistolae Petrinae nominandus sit, αυθεντιαν eius labefactare voluerunt. Eosdem nimiae fiduciae in hoc argumento collocatae iam ea ex causa accusari posse, quoniam multa aevi antiquioris scripta, in quibus epistola forsan commemorata fuerit, temporis iniuria perierint, hoc valde tueri mihi ipsi non est animus. Omne patrocinium, quod suae sententiae ex silentio dubiisve patrum quaesiverunt, iam satis removisse mihi videor, si non tantum epistolam Judae ex Petrina quasi fonte suo derivandam esse, sed etiam quomodo fieri potuerit, ut haec serius illâ auctoritatem consequeretur, ad eum, qui in his rebus postulari potest, probabilitatis gradum adduxerim.

At omnia haec frustra sunt disputata, si rationibus ex ipsa epistola Petrina petitis (*argumenta interna* dicunt) persuaderi queat, eam non ab apostolo scriptam, sed foetum impostoris esse, qui seriori aevo auctoritatem magni nominis mentiri ausus sit. Meum ergo est, ut ista argumenta, quorum plurima nuper denuo confidenter in medium prolata sunt, diligentiori examini submittam.

SECTIO QUARTA.

Expenduntur argumenta, dicunt interna, quibus ad epiſtolae poſterioris Petrinae γνησιοτητα ſollicitandam uſi ſunt recentiores.

1) Nonnulli recentiores αυθεντιαν ep. Petrinae poſterioris in dubium vocarunt, quod ſententiis quibusdam in ea offendebantur, quae in priori Petri epiſtola atque in eius orationibus a Luca Actis apoſtolorum (c. I, 16. II, 14. III, 12. IV, 8. V, 29. VIII, 20. X, 34. XI, 5. XV, 7 ſeqq.) inſertis non exſtent. Verum hac ratione nil certi concludi poteſt, nec quoad alios auctores antiquos ita concludi ſolet. Quis enim *Ciceronis Quaeſtiones Tuſcul.* pro libro ſuppoſititio declarare auderet, ſi quas in iis ſententias infolentiores reperiſſe crederet, quae in libris *officiorum* aliisque Ciceronianis deſiderantur? — Loca, quae quiddam offenſionis habere putentur, ex noſtra ep. eruerunt c. III, 5—7. 10—13, ubi de coelo et terra, quae olim (εκπαλαι) exſtiterint atque de mundo hodierno aliquando vi ignis perituro elementorumque conſummatione agitur. At nullo modo probari poteſt, Petrum apoſtolum ea ſcribere nequiviſſe. Scriptores N. T. haud raro traditionibus mythisque vulgaribus, maxime Judaeorum ſeſe accommodaruut. Videſis 1 Cor. X, 4. *i*) et Jac. V, 17 *k*). Petrus ipſe in epiſtola priori ad id genus popularis demonſtrationis deſcendiſſe videtur c. III, 19. 20. *l*) et IV, 6. ubi Chriſtus, ſupplicium paſſus, (πνευματι) in

i) ibique *Wetſteinium*, *Semlerum* et *Schulzium*.

k) ad quem locum *Storrii* Opuſc. acad. Vol. II. p. 73. conferenda ſunt.

l) Hunc locum vexatiſſimum conſtat, poſtremis annis a pluribus interpretibus, e. gr. *Pott*, *I. E. C. Schmidt*, *Vogel*, *Gabler*, *Bretb* (in Prolegg. ad auctarium cet. p. LIV), *Stange* ſcite docteque tractatum eſſe. Quam interpretationem ſupra indicavi, praetuli non niſi accuratiori examinatione inſtituta.

in Orcum se contulisse ibique animis corpore exutis praedicasse tradituri Immo ibi etiam aliquoties instantem mundi consummationem omniumque rerum vicissitudinem tetigit c. IV, 7. 13. 17. Ceterum quomodo fieri potuerit, ut persuasionem de coelo terraque aliquando crematuris novoque mundo inchoaturo indueret, iam supra p. 54. 55. paucis ostendi. Dictum illud vero (c. III, 5.) de coelo terraque, quae olim fuerint, nihil offendere nullumque scrupulum iniicere potest, si ad tempus referatur, quod diluvium Noachicum praecedebat et quasi aliam mundi generisque hominum epocham facere putabatur. Videtur Judaeos, qui ad φιλοσοφημενα animum applicuerant, opinio tenuisse, mundum olim *aqua* tempore Noae omnia inundante transformatum, immo innovatum esse, in posterum vero *igne* immutatum iri *m*).

2) Aliud argumentum, quod ad epistolae γνησιοτητα sollicitandam multi gravissimum putarunt, a stili discrepantia, quae inter utramque ep. Petrinam intercedat, desumitur. Veterum iam *plerosque* hoc argumento usos fuisse, ex testimonio *Hieronymi* supra p. 18. et 55. allato constat. An voce „*plerisque*" homines suae aetatis, an superioris quoque significare voluerit, est quidem in ambigue. Certum vero est, hanc veterum auctoritatem suspicioni recentiorum magnum pondus addidisse. Distincta tamen exempla ad discrepantiam stili in utraque ep. probandam, quantum scio, nusquam sunt in medium prolata. Nec defuerunt viri, qui erudita argumentatione nisi suspicionem ipsam removere, vim certe, quae illi ad labefactandam epistolae αυθεντιαν inesse crederetur, infringere studerent. Et sane mirandum, nuper idem argumentum a stili diversitate petitum simpliciter recoqui tantumque ei tribui potuisse. *Nietzschius* enim et qui apprime cum eo facit, *Pottius* ll. cc. solerter exposuerunt: quam parum praesidii in eo quaerendum sit, quum ex quinque prioris epistolae capitibus vix definiri queat, quid stilo Petrino proprium sit, quidve ab eo recedat, quumque negari non possit, dictionem eiusdem auctoris pro temporis ac materiae diversitate saepius maxime differre. Hocce posterius praeprimis in secundam ep. Petrinam valet; in ea enim et maxime in secundo eius capite, ubi stilus magis quam in binis ceteris capp. discrepare visus est, longe alia res, quam in prima ep., pertractatur; inde auctor etiam ex aliis fontibus, quam quum primam epistolam scribebat, hausisse existimari potest et forsan ad peculiarem ip-

m) Cf. *Schoettgenii* h. h. et t. ad 2 Petri III, 6. 7.

ipſorum haereticorum dictionem reſpexit. Nihilominus ſtilum in utraque epiſtola multis modis mire ſimilem eſſe amiceque congruere, duumvirſ laudati tot exemplis eviceruht, ut, niſi putarem in ſingulis quibusdam eligendis et collocandis ab iis diſcedendum eſſe, rem retractare ſupersedere poſſem. Reperimus in utrisque epiſtolis *non tantum* eandem auctoris hebraicam cogitandi et dicendi indolem, loca V. T. pari modo omiſſis allegandi formulis orationi intertexta, *interdum* quoque impeditiorem periodorum conſtructionem, quae exiguam bene et perſpicue ſcribendi facultatem prodit *n*), *ſed* apparet *etiam* ex utriusque ep. dictione ille ferviđior animi ſenſus, quem utpote Petro inprimis proprium ex evangeliſtarum commentariis novimus. Orationem in poſteriori ep. paſſim vehementiorem ideoque duriorem eſſe, quam in priori, quis miretur, dummodo reputet, apoſtolum ibi iuſto odio atque ira in ſceleſtiſſimos doctrinae morumque corruptores incenſum ſcripſiſſe? — Contra mirari liceat, quod animi ſui aeſtum tam facile effervescentem non ſaepius in priori epiſtola monſtraverit *o*). Ceterum in utraque epiſtola reperiuntur periodi, quae novis membris annexis ſive interpoſitis in longitudinem iuſto maiorem accreverunt (1 ep. I, 2—12. 17—21. II, 21—25. III, 18—22. 2 ep. I, 3—7. II, 1—3. 4—10. 10—16.), item eaedem ſententiarum repetitiones (1 ep. III, 17. coll. 14. et c. II, 19. 20. 2 ep. I, 10. coll. 5—9. III, 12. coll. 10. et 14. coll. 12.), eadem oppoſita (1 ep. II, 16. 2 ep. II, 19.) audacesque imagines ac figurae, non quidem expreſſe eaedem, attamen ex eodem ingenio facile derivandae (1 ep. I, 7. 23. 24. II, 2. 4. 5. IV, 10. V, 2—4. 8. 2 ep. I, 13. 19. II, 12. 17. 22. III, 10); immo occurrunt eadem vocabula eaque eodem ſenſu inuſitatiori (*ανασφοφη* et *ανασφεφεσθαι* 1 ep. I, 15. 17. 18. coll. 2 ep. II, 7. 18. III, 11. *αρετη* ſyn. vocibus *δοξα* et *αινος* = הוד וכבוד 1 ep. II, 9 coll. 2 ep. I, 13. *αμωμος και ασπιλος* 1 ep. I, 19. coll. 2 ep. III, 14. et II, 13. quo loco poſter. *σπιλοι και μωμοι* memorantur. *χριμα* et *χρισις* pro *κατακριμα* cet. paſſim in utraque ep. — *ο καλεσας*, quo Deus denotatur, 1 ep. 15. et 2 ep. I, 3. *πειρασμος* 1 ep. I, 6. coll. 2 ep. II, 9. *πορευεσθαι*, *indulgere*,

n) Jam b. *Morus* (in *Praelectt. in Jacobi et Petri epp.* ed. *Donat* p. 214 et 215) bene monuit, Petrum in utraque ep. mox difficilius, mox facilius ſcripſiſſe.

o) Adſunt tamen ibi quoque loca, quae ſingularem animi ardorem produnt, e. gr. c. II, 21—25. III, 18—22. IV, 1—4. V, 2. 3. 8—10.

gere, 1 ep. IV, 3 coll. 2 ep. II, 10. III, 3. χορηγειν 1 ep. IV, 11 coll. επιχορηγειν 2 ep. I, 5 et 11 *p*)). — Quamvis satis larga sit haec exemplorum similitudinis, quae inter utramque ep. intercedit, messis, tamen non diffitendum est, ea nihil probari, si epistolae posteriori vera inhaereant impostoris vestigia, qui Petri auctoritate atque persona abusus esset; quum haec vero plane absunt *pp*), locorum similium comparatio ad stabiliendam epistolae αυθεντιαν, certe ad suspicionem discrepantiae dictionis repellendam omnino facit. Vim autem ac momentum huius comparationis efficacius intelliget, qui simul cum hisce epp. Petrinis in canonem N. T. receptis *epistolam ad Jacobum Petro* suppositam *q*) comparaverit. En quantum distet ab illis!

3) Palmarium argumentum, quo maxime permoti nonnulli recentiorum *r*) epistolam posteriorem Petro apostolo abiudicandam esse censuerunt, situm est in loco ep. c. III, 15. 16. Postquam auctor v. 14 et init. v. 15 lectores adhortatus est, ut integri vitae scelerumque puri futuram meliorem in coelo conditionem exspectarent, nihil solliciti de mora extremi iudicii non nisi lenitate divina protracti, ista subiunxit:

„καθως και ὁ αγαπητος ἡμων αδελφος Παυλος κατα την αυτω δοθεισαν σοφιαν εγραψεν ὑμιν, ὡς και εν πασαις ταις επιστολαις, λαλων εν αυταις περι τουτων· εν οις *s*) εστι δυσνοητα τινα, ἁ οι αμαθεις και ασηρικτοι στρεβλουσιν, ὡς και τας λοιπας γραφας, προς την ιδιαν αυτων απωλειαν.“

Mirantur interpretes, tam amice mentionem fieri Pauli, ethnicorum apostoli; magis mirantur, omnes Pauli epistolas quasi iam in unum corpus redactas ingenue citari. Scimus omnino ex ipsius Pauli narratione (Gal. II, 11—14 *t*)), aliquando Antiochiae disceptationem inter Petrum et Paulum

p) De conspiratione sensus in singulis locis utriusque epistolae infra in sect. V. §. 4. proponuntur exempla.

pp) Cf infra sectionem quintam.

q) Cf. FABRICII *cod. apocryphus N. T.* P. II, p. 907—913.

r) praeter *I. E. Schmidtium* et *Welckeyum* VV. CC. etiam censor eruditus in (*Hal.*) *Ephemerid. univers. lit.* anni 1805. Nr. 58.

s) Haec lectio vulg. οις varianti αις praeferenda esse videtur utpote difficilior; nititur quoque auctoritate plurimorum testium veterum, et a recentioribus criticis, *Griesbachio*, *Matthaei* cet. in textu servata est.

t) ad quem loc. b. *Koppius* conferendus.

lum exortam esse, quum ille a sententia, quam olim ipse Hierosolymis in conscessu apostolorum (Actor. XV, 7—29) strenue atque apertius proposuerat, ex nimia animi facilitate discedens, convictum christianorum, qui olim ethnicae religioni addicti fuerant, abhorreret, placitis Ex-Judaeorum iusto nimis obsequiosus. At minime sequitur, mutuam inimicitiam ab eo inde tempore inter utrosque apostolos obtinuisse, ita ut alter alterum honoris causa ne commemorare quidem voluerit. Ipse Paulus in illa ad Galatas epistola (c. II, 9) paucis annis post conventum Hierosolymitanum scripta honorificentissime Petri mentionem fecit *v*) et insuper satis magnum temporis intervallum inter illam Antiochensem disceptationem huiusque epistolae originem fuit, ut merito credi possit, apostolos, qui utrique summam diligentiam in doctrina christiana, alter inter gentiles, alter inter Judaeos (Gal II, 7. 9. coll. Rom. XV, 16) propaganda posuerunt ergoque in ardore, salutem hominum ex praeceptis Christi promovendi plane consenserunt, iam dudum ad mitiorem erga se invicem animi sensum rediisse, quum Petrus, si quidem auctor epistolae putandus est, illa verba scriberet. — Quod vero alterum scrupulum attinet inde iniectum, quod v. 16 collectionem epistolarum Paulinarum quoquo versus divulgatam innui putant, regeri potest, verba εν πασαις ταις επιστολαις sic iusto pressius accipi, quum nihil cogat, ut de integra collectione omnium, quascunque Paulus scripserit, epistolarum cogitemus. Auctor potius existimandus est eas tantummodo Pauli epistolas spectasse, quae ei innotuerant quasque etiam lectoribus suis innotuisse credebat *x*). Et cur fieri non potuisset, ut Petrus eiusque lectores *aliquas* cognoscerent epistolas Paulinas? — Eum haud continuo intra fines terrae iudaicae mansisse, iam inde liquet, quod Antiochiam veniret, quum Paulus ibi commorabatur. (Gal. II, 21.) Praeterea, quod iam supra in transcursu monebam, vix negari potest, Petrum olim in provinciis asiaticis (iis scil., quae in prioris ep. inscriptione expresse nominantur) aliquamdiu

v) Sunt quidem nonnulli interpretes (e. gr. cel. *Augusti* in libro: *Die katbol. Briefe neu übersezt*, Lemgov, 1801, p. 2 et 3), qui Paulum Gal. II, 9 verba οι δοκουντες στυλοι ειναι itemque locum 2 Cor. XI, 5: λογιζομαι — μηδεν υστερηκεναι των υπερλιαν αποστολων putent δι' ειρωνειαν scripsisse. At equidem mihi id persuadere non possum. Contextus locorum talem interpretationem minime flagitat.

x) Constat in omnibus linguis, antiquis et recentioribus, saepe de *universo* dici, quod tantum *de parte* intelligendum.

diu degiſſe. Ex rerum enim, quas in priori ep. tractat, atque ex interiorum animi ſenſuum, quos tam lucide enunciat, ratione perſpicuum eſt, mutuam apoſtoli lectorumque eius cognitionem et familiaritatem aliam fuiſſe, quam quae inter homines conciliatur, quibus nunquam, ut ita dicam, προσωπον προς προσωπον videre licuit. Sin vero in illis regionibus *) inter chriſtianos commoratus eſt, dubitari nequit, quin ibi *nonnullas* epiſtolarum Paulinarum oculis uſurpaverit. Sane non potuit non cupidiſſimus eſſe literarum, quae ab illo ſtudioſiſſimo rerum chriſtianarum adiutore proficiſcebantur. Opportunitas vero earum adipiſcendarum deeſſe non potuit ei, qui ipſe apoſtolus erat. Nil obſtat, ne putemus, Petrum epiſtolam ad Galatas et utramque ad Theſſalonicenſes, quas Paulinarum, quae ſuperſunt, primo ſcriptas eſſe conſtat, in Aſia vidiſſe. An Pauli quoque epiſtolas ad Epheſios, Coloſſenſes et Philippenſes in ipſa Aſia viderit, non aſſeri poteſt; ſunt enim ſerius ſcriptae, quam quo tempore Petrum in Aſia fuiſſe probabile eſt. Si vero in extremo vitae actu Romam venerit, (quod vix in dubium vocari poſſe, iam ſupra monui), omnino credere licet, ibi ei non modo epiſtolam Pauli ad Romanos ſuperiori tempore ſcriptam, ſed etiam exempla illarum epiſtolarum in promtu fuiſſe, quas Paulum, quum Romae in vinculis tenebatur, ad eccleſias aſiaticas ſcripſiſſe non eſt ut dubitemus *y*).

Et

*) Nolo commemorare, *Petrum* ex dicto ep. prioris c. V, 13. in *Babylonia* quoque olim degiſſe videri adeoque ut hanc terram adiret, non potuiſſe quin multas provincias *Aſiae minoris* peragraret. Nolo id commemorare, quum argumentatio ſupra propoſita iam ſatis moveat, ut Petrum in iis regionibus, ubi theatrum Pauli apoſtoli erat, aliquamdiu commoratum eſſe putemus quumque verba illa 1 ep. V, 13. ασπαζ. υμας η εν Βαβυλωνι συνεκλεκτη ambiguae ſint interpretationis. Mihi quidem ut olim multis auctoribus ſyriacis (v. *Aſſemanni* Diſſ. de Syris Neſtor. in Bibl. orient. T. III. P. 2. p. IV — VI) itemque Erasmo, Druſio, ut recentiores taceam, maxime ad probabilitatem ea interpretatio accedere videtur, qua Βαβυλων non tropico, ſed proprio ſenſu accipiatur. In Babylonia, ſuperioris Aſiae provincia, multos Judaeos vixiſſe ſatis conſtat ex *Philone* de leg. ad Cai. ed. meae p. 259 et 297, ubi etiam locos conſonantes *Fl. Joſephi* adduxi. Ubi Judaei fuerunt, ibi etiam doctrinam chriſtianam doceri potuiſſe, non eſt ut moneam.

y) Cf. SCHMIDTII *Hiſtoriſch-kritiſche Einleitung in's N. T.* §. 85 — 87, et §. 119. — Exempla epiſtolarum, quas Paulus Romae ſcripſit ibi per eius discipulos et ſectatores ſumta fuiſſe, pluribus ex cauſis maxime

Et quid vetat coniicere, Petrum alias quoque Pauli epiſtolas, quam quae hodie ſuperſtites ſunt, vidiſſe, immo eas ipſas, quarum in hoc dicto (c. III, 15. 16) rationem habuerit, tales fuiſſe, quae ad noſtram aetatem non pervenerint z)? — Inſuper iam diu viri docti non tantum inde, quod epiſtola ad Epheſios tanquam encyclica conſideranda eſt, ſed etiam ex aliarum Pauli epp. locis (Col. IV, 16. 2 Theſſ. II, 2) iuſte collegerunt, aliquas huiusce apoſtoli epiſtolas iam eo adhuc vivo extra eccleſias, quibus ſcriptae erant, fuiſſe devulgatas *a*). — Hisce expoſitis vis argumentandi, quam ex loco allato (2 Ep. III, 15. 16) quaeſiverunt, manifeſto convellitur. Si quem vero offendat, quod alter apoſtolus alterius ſcripta nominatim memoraverit, is quaeſo meminerit, ſimile exemplum in V. T. exſtare. Jeremias enim c. XXVI, 18 alius vatis Hebraeorum, Michae, dictum ex eius c. III, 12 nominatim atque ad verba allegavit. Praeterea vel ipſam cauſam, quae Petrum moverit, ut ad Paulum, eiusque epiſtolas provocaret, divinare poſſumus. Sicuti enim veriſimillimum eſt *b*), Paulum conſulto in epiſtola ad Galatas (c. II, 11 ſqq.) cauſas et modum disceptationis olim Antiochiae inter ipſum Petrumque ortae expoſuiſſe, ne quis de ea inique iudicaret ſuamque cum Petro in rel. chriſt. tradenda conſenſionem in dubium vocaret, ita etiam coniicere licet, Petrum hoc loco eadem ex cauſa amiciſſimam Pauli ſcriptorumque eius mentionem feciſſe. Deinde ſi ψευδοδιδασκαλοι dicta quaedam Paulina, quae Chriſti παρουσιαν ſpectarent, perverſe interpretarentur indeque eo facilius inſcios et infirmos (ἀμαθεις και ἀστηρικτους) in errorem ducerent, Petro omnino debebat neceſſe videri ut, poſtquam ad

xime eſt probabile. Petrus ergo, qui veriſimiliter non multo ante Pauli mortem Romam veniſſe credendus eſt (eum iam tum temporis ibi fuiſſe, quum Paulus epiſtolas ad Philippenſes, Eph. et Coloſſ. ſcriberet, merito dubitari poteſt, quum Petri nulla in his epp. mentio facta ſit), haec exempla procul dubio cognoſcere potuit.

z) Eſt notiſſima obſervatio recentiorum eruditorum, Paulum apoſt. probabiliter per triginta fere annos, quibus in res chriſt. promovendas ſummam operam impendit, plures quam, quae hodie leguntur, epiſtolas ſcripſiſſe et fortaſſe nonnullas iam ante epiſtolam ad Galatas, quam inter ſuperſtites primam ſcripſit demum 14 circiter annos, poſtquam ad ſacra chriſtiana ſe converterat. Unam atque alteram epp. Paulinar. interiiſſe, iam ſatis evincitur locis 1 Cor. V, 9 et Phil. III, 1.

a) Cf. WEBER *Beiträge zur Geſchichte des N. T. Kanon's*, p. 84 ſqq.

b) Cf. KNAPPII ſcr. l. p. 508.

ad ψευδαδιδασκαλους refellendos veriora de reditu Christi exposuerat (c. III, 4—14), suum Paulique consensum expresse affirmaret c) — Si hac ratione, quam partim b. *Storrius* d) praeivit, consilium sensumque auctoris, quum versus 15 et 16 scriberet, fuisse accipiamus, omnes difficultates criticae atque exegeticae evanescunt, quas multi viri eruditi, adhuc nuper, huic loco inesse contenderunt. Neque opus est coniectura, qua nonnulli totum dictum καθως και ὁ αγαπητος — — απωλειαν ab aliena manu Petro adsutum esse crediderunt e).

4) Nonnulli αυθεντιαν epistolae Petrinae posterioris impugnarunt dicendo, auctorem personam apostoli Petri studiosissime sibi sumsisse et vindicasse, ita ut in suspicionem simulationis incurrat. Excitarunt loca c. I, 12—15. 16—18. II, 1. III, 1. 2. 15. — Verum enim si omnia alia, quibus commoti Petro epistolam abiudicarunt, nihil vere probant atque e contrario multa partim iam supra exposita, partim posthac in sect. Vta exponenda, ad epistolae αυθεντιαν firmandam praeclare consonant, perspicuum est,

c) Nonnulli singularem locum ex epp. Paulinis hodie superstitibus eruere voluerunt, cui Petrus verbis Παυλος εγραψεν υμιν (v. 15) alluserit. Alii dictum ep. ad Romanos c. II, 4 aut IX, 22, alii Hebr. X, 25 attulerunt, sed nec unum nec alterum vere convenit. Cf. *Pottium*, qui probabilius coniecit; Petrum ad deperditam quandam Pauli epistolam spectasse. Ceterum ad verba v. 16 εν πασαις ταις επιστολαις b. *Morus* iuste annotavit: „Loquitur Petrus de adventu Domini, de fine mundi et iudicio. Quod autem Paulum in omnibus suis epp. harum rerum mentionem facere dicit, id non eget verbis. Quoties enim de futura illa conditione et rerum statu loquitur!“.

d) in Diss. *de catholicar. epp. occasione et consilio* (inserta *Opuscul. acad.* Vol. II, p. 367 seqq.) § 1.

e) Esset quoque haec coniectura minime probanda; excluso enim illo dicto „καθως — απωλειαν“ manifesta lacuna esset inter adhortationes v. 14: Διο, αγαπητοι, — σωτηριαν ηγεισθε atque v. 17: υμεις ουν, αγαπητοι cet. Alia res est, annon verba v. 16: ως και τας λοιπας γραφας pro spuriis habenda sint; sapiunt omnino glossam, quae iam in primis seculis adscribi potuit, praesertim textui codd. qui forsan in antecedd. pro οις praeberent αις. Nec tamen negaverim, Petrum ea scribere potuisse. Cf. *Storr.* l. c. in *Opuscul.* p. 369 nota 8.

est, illam obiectionem fundamento suo esse destitutam. Dicta, quibus impostorem inferioris aetatis ad personam divi Petri sustinendam callide usum esse autumant, sunt potius luculenta certaque veri Petri nec simulantis nec dissimulantis indicia. Insunt quoque locis adductis nulla, quae suspicionem vere creare possent. De binis eorum tamen pauca dicenda sunt *f*). Verba capitis I, 14:

„οἶδας, ὅτι ταχινή ἐστιν ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου, καθὼς καὶ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐδήλωσέ μοι."

non solum aliqui eorum, qui αὐθεντίαν epistolae sollicitarunt, sed etiam nonnulli, qui subierant vindicis seu interpretis partes *g*), ita acceperunt, ut auctorem ad verba Christi Joh. XXI, 18. 19. respexisse putarent. Verum vix iuste. Fac enim, evangelista vel qui alius capitis XXI i. e. *appendicis* evangelii Johannei auctor putandus *h*), verba Christi *recte* intellexerit de *mortis* genere, cui Petrus occubiturus sit, minime tamen appareat, quomodo auctor epistolae inde τὴν ταχινὴν ἀπόθεσιν τοῦ σκηνώματος colligere potuerit. Quare omnino praestat assumere, Petrum respexisse aliud dictum Christi, alia occasione auditum idque nobis in commentariis evangelistarum haud traditum vel quum demum triginta et quod excurrit annos post Christi e vita discessum Petrus mortem obiret adeoque Christus ei *celerem* mortem praedixisse vix putari queat, probabilius est, Petrum h. l. visionem quandam in mente habuisse, quam paulo ante, quam ista scriberet, forsan per somnium sibi contigisse credebat. Constat Paulum quoque interdum (2 Cor. XII, 1 seqq.) ad singulares visiones provocasse, quae sibi contigissent. — Alius locus, qui novissime utpote talis tentatus est, ubi impostor personam Petri gerere annitendo simulationem suam prodiderit, est c. III, 1:

„Ταύ-

f) Locus c. III, 15 paulo ante in §. 3 pertractatus est.

g) e. gr. b. *Michaelis* in libro: *Einleitung in die göttl. Schr. des N. B.* §. 254. et ven. *Haenlein* in: *Handbuch der Einleitung* cet. P. 1. p. 200.

h) Constat, post *H. Grotium* et *Jo. Clericum* recentiori aetate S. V. *Paulum* (v. N. *Repertorium für bibl. und morgenl. Lit.* P. II. p. 327 sqq.) et cel. *Gurlittum* (in *specim. tertio lectt. in N. T.* edito Hamb. 1805) αὐθεντίαν huius capitis docte et subtiliter impugnavisse simulque Christi sensum (v. 18) a capitis conscriptore perperam esse intellectum non sine veri specie demonstravisse. Ipsum caput d. Joanni vindicare studuit, cel. *Pauli* obiectiones respiciens, cl. *Hug* in libro inscripto: „*Einleitung in die Bücher des N. T. Erstes Heft.* (Basil. 1797.) p. 200 sqq.

„Ταυτην ηδη, αγαπητοι, δευτεραν υμιν γραφω επιστολην, εν αις διεγειρω υμων εν υπομνησει την ειλικρινη διανοιαν cet.

Putatur *i*), his verbis utrique epistolae Petrinae idem consilium idque contra veritatem subiici. — Verum hoc modo verba textus inique premuntur. Auctor minime contendit, se in ista atque priori ep. *plane idem* secutum esse *consilium* (— quod si vel impostor dixisset, sane maxime stultum sese gessisset, quoniam ex ipsis epp. facile refutandus, ergo suo ipsius ense quasi iugulandus fuisset —); innuit tantum, quod in utrisque epp. consilium vere commune habuit, nempe eum animi sensum, qui doctrinae christianae congruat, i. e. sincerum virtutis amorem in lectoribus suis excitandi (την ειλικρινη διανοιαν διεγειρειν *k*)) ideoque (v. 2.) dicta prophetarum V. T. ad Christum eiusque regnum spectantia (cf. 1 Petr. I, 10—12 coll. 2 Petr. I, 19—21.) simulque praecepta ab apostolis coram tradita (1 Petr. I, 2. et 2 Petr. I, 1.) in memoriam revocandi. In hac rerum similitudine tamen magnam quoque dissimilitudinem inter utramque epistolam intercedere, negare sane nec voluit nec potuit *l*).

5)

i) Cf. *Schmidtii* clavem phil. exeg. in N. T. contin. a *Welckero* p. 206.

k) Huc tendunt egregiae praescriptiones et admonitiones in utraque epistola tam frequentes, ut exempla excitare non opus sit.

l) *B. Berger* in libro: *Versuch einer moral. Einleitung in das N. T.* V. II. p. 383 et 393 contendit, utrasque epistolas Petrinas in arctissimo esse connexu; in priori enim apostoli fuisse consilium, quosdam errores, qui ne christianis pernicioſi forent, timendi erant, in universum eo modo repellendi, ut verae doctrinae christianae decreta studiosius inculcaret; in posteriori vero eum id egisse, ut ψευδοδιδασκαλους singulosque eorum errores, quos usque quaque disseminatos videret, acrius et distinctius impugnaret. Qua sententia adoptata, utrique epistolae omnino iuste idem consilium pleniori sensu adscribi posset, quod *Bergerus* quoque fecit, ita ut inde argumentum magni ponderis, quo posterioris epistolae *αυθεντια* firmari queat, sumendum esse putaret. At mihi quidem *edlis* nexus utriusque epistolae non satis certus esse videtur. *Bergerus* ad sententiam suam probandam comparavit locos 2 Petri II, 10 et 1 Petr. II, 13—17, ergoque vocibus κυριοτ. et δοξ. *magistratus publicos* denotari accepit, qui interpretationi contextus ratio valde refragatur, id quod ex supra p. 34. 35 et p. 36 (nota r) annotatis elucebit.

5) Levius eſt argumentum, quod ad ſeriorem epiſtolae aetatem probandam petitum eſt e loco c. III, 4. Ibi auctor falſos doctores, quos verſu praecedente εμπαικτας vocat, interrogantes facit:

„ποῦ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ;“ m).

Talem interrogationem contenditur, aevo apoſtoli Petri nondum potuiſſe iniici; Paulum prohibuiſſe 1 Theſſ. V, 1, ne curioſius ἡμέρα κυρίου exſpectaretur n). — At quidni triginta et quod excurrit, annis poſt Chriſti obitum praeterlapſis homines σαρκικοι, κατὰ τὰς ἰδίας αὐτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι (c. III, 3) ad probos doctrinae chriſtianae ſectatores, qui laetiſſimam ſpem τοῦ εἰσελθεῖν εἰς τὴν αἰωνιον βασιλειαν τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος I. X. (c. I, 11.) fovebant, irridendos et cavillandos illam interrogationem movere potuerint? Immo fuerunt ſane multi chriſtiani, qui, etſi non corruptelarum illecebris irretiti, deſiderio tamen tranquillitatis, amplitudinis et felicitatis, quas ſibi in regno illo inſigniori a Chriſto redeunte inaugurando pollicebantur, moram τῆς παρουσίας Χριστοῦ impatientius ferrent. Ipſe Paulus apoſtolus in illa ad Theſſalonicenſes ep. multo ante poſteriorem Petrinam ſcripta iam tales chriſtianos reſpexiſſe videtur nec a probabilitate abhorret, ipſum locum adverſus noſtram epiſtolam excitatum (1 Theſſ. V. 1. 2.), qui ſenſu ſuo onm dicto in noſtra ep. c. III, 10. plane conſentit, oppoſitum fuiſſe chriſtianis, qui ſimiliter, quamvis animo non aeque impio et malevolo, interrogaverant: ποῦ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ; — Alia, quae moneri ſ. annotari poſſent, iam occuparunt *Nietzſchius* (l. l. p. 33—46.) et *Pottius* (in Prolegg. l. p. 169. 170.) in argumentatione contra *Grotium*.

Iamiam rationibus, quibus inducti viri eruditi epiſtolam a ſcriptore inferioris aetatis, qui Petri apoſtoli nomen et auctoritatem fraudulenter ſibi arrogaverit, profectam eſſe ſtatuerunt, examinatis atque excuſſis o), ſupereſt

m) Scripſit auctor αὐτοῦ, licet in proxime antecedentibus non memoretur Chriſtus. Procul dubio dedit verba ipſis ψευδοδιδασκαλοις uſitata, qui Chriſtum ſive κατ' ἐξοχην ſive εἰρωνικως vocarent αὐτον.

n) Cf. *Schmidtii* clavem cit. p. 183. 84.

o) Argumentum ad αὐθεντιαν epiſtolae Petrinae labefactandam inde petitum, quod magna eius pars ex epiſtola Judae decerpta eſſe credebatur, hac ſect. quarta praeteriri poterat, quoniam eſt ſect. ſecunda profligatum.

ait, ut coniecturas expendam, quibus nuper consilium divinare voluerunt, quod falsarius in epistola concinnanda secutus sit. Ven. *Schmidtius* p) duas proposuit coniecturas. Ex priori fictam esse existimat epistolam, ut hominibus religionem christianam amplexis persuaderetur, Petrum et Paulum in extremo vitae cursu fuisse reconciliatos; quae persuasio ut firmaretur, ecclesiae catholicae maxime interfuisse. Similis, immo fere eadem est sententia, quae in cel. *Henkii* promtuario q) memoratur, epistolam nempe Paulo et Petro iam vita defuncto in eum finem esse conscriptam, ut sectatores Pauli et Cephae (1 Cor. I, 12.) inter se dissidentes ad consensum ducerentur. Sed vir eruditus, qui l. c. hanece ὑποθεσιν ab alio acceptam, ipse ab ea discedens, in lucem protulit, simul iuste monuit; dubium esse, an illud χισμα universe regnaverit et utrum deinde post obitum apostolorum quoque exstiterit. Maxime vero ex meo quidem sensu coniectura eo subvertitur, quod ad illum finem referri potest unicus tantum locus c. III, 15. 16. Nonne is, qui posteriori aetate epistolam in talem finem componere voluisset, consilium suum in tota ep. ante oculos habere ideoque prorsus alia tractare debuisset? Vix poterat auctor in animum inducere, ad illud partium studium (si vere posteriori aetate inter christianos perduraverit) removendum valiturum esse, si nil ageret, nisi ut obiter memoraret, Paulum, carissimum fratrem, pariter in epp. suis ad probam cogitandi agendique rationem et ad tranquillam supremi iudicii exspectationem excitasse. Discrimen, quo olim utrique apostoli et qui ab eorum partibus stabant, a se invicem discedebant, in re plane alia positum erat, in quaestione scilicet, quid consuetudini et placitis Judaeorum, qui ad religionem christianam se convertissent, salvis huiusce praeceptis et institutis, concedi queat. Ceterum iam supra p. 64. indicavi, ipsum Petrum eam ob causam Pauli atque epistolarum eius mentionem facere potuisse, ut iniquas hominum opiniones de dissensu inter ipsum et Paulum removeret. — Ex altera, quam *Schmidtius* proposuit, coniectura fingit, epistolam esse compositam, ut damnum amoveretur, inde metuendum, quod Christi ad extremum iudicium adventus in scriptis apostolorum, quasi proxime instaret, annunciatus usque tamen moraretur; ne auctoritas apostolorum labefactaretur, epistolae auctorem Petri apostoli personam sibi accommodasse. Verum quamquam omnino in propatulo sit, auctorem inter alia id quoque consilii habuisse, ut lectores suos de reditu Christi nec in dubium vocando nec immodeste efflagitando doceret, nescio tamen quid obstet, ne ipsum apostolum Petrum

p) *Historisch-krit. Einleitung in's N. T.* §. 156.
q) *Neues Magazin für Religionsphilos., Exegese* cet. Vol. III, p. 319.

trum tale consilium iniisse putemus *r*)? Sane nulla urget necessitas, ut ab aliquo fraudatore, quantumvis pium dixeris, epistolam compositam esse opinemur. — Qui novissime eius αυθεντιαν impugnavit, *Welckerus s*), singulare consilium quod auctor Petri personam suscipiendo persecutus sit, definire non audet. Ratio vero, qua epistolam exortam esse coniicit, corruit et evanescit cum fundamento, cui est superstructa, opinione nempe, qua ex epistola Judae Petrina transscripta esse putatur. Est quoque per se valde improbabilis *t*). Inde quod ecclesiae, quibus scripta est epistola, in fronte eius haud nominatae sunt, fraudem auctoris efficere minime licet, quod ut argumentis demonstremus, non opus erit.

r) Adderem, *Paulum* etiam in *ep. secunda* ad *Thessalonicenses* c. II, 1 seqq. idem fere consilium secutum esse, nisi recordarer, vel contra γνησιοτητα huiusce ep. Paulinae dubitationem a *Schmidio* iniectam esse. Vid. viri acutissimi lcbr. cit. p. 256. 57. — Ex mea quidem sententia loca 1 Thess. IV, 15 (coll. V, 1. 2) et 2 Thess. II, 1 sqq., quae inter se pugnare videntur, haud difficulter conciliari possunt, dummodo accipiamus, apostoli in secunda ep. consilium fuisse, ut quod olim de reditu Christi scripserat, quodque nonnulli iusto pressius interpretati erant, distinctius exponeret. In ep. priori l. c. (ut et in ep. prima ad Corinthios c. XV, 51. 52 serius scripta) omnino ita locutus est, ut existimasse videatur, Christum rediturum esse, priusquam *omnes* homines, qui tum temporis vivebant, vita defuncti essent. Id in ep. ad Thessalon. secunda l. c. minime retractat; eos vero, qui inde παρουσιαν Christi propediem eventuram esse collegerant, edocet, eam, quamvis omnino immineat, tamen non nisi antea horrenda quaedam eveniissent, exspectandam esse.

s) in contin. *clave Schmidt.* p. 187.

t) Subiungam ipsa verba cl. *Welckeri* e libro cit. p. 188: „*Es bedurfte nur eines zufälligen Einfalles* (!); *es hatte ein Presbyter oder anderer Mann doch* den Brief Judas *abzuschreiben — dabei fühlte er, wie man ihn auch umändern könne. Vielleicht war einer ein besonderer Verehrer von Petrus, und da die Schriften der Apostel so ausgezeichnet verehrt wurden, so schien es ihm, als mache er Petrus ein Geschenk.* (!) *Der Brief Judas darf dazu nicht unwürdig scheinen. — — Aber er hütete sich, den Brief an bestimmte Gemeinden zu überschreiben. Dadurch würde der Nachfrage der Weg gebahnt worden seyn. Dieses Werk schlich aber doch im Verborgnen und kan nur gerade nicht zu der Kunde der Schriftst. im zweiten I. H. oder sie fanden es nicht der Mühe werth, von der unächten Schrift zu reden. Denn der Abstand von einer gemeinen Schrift zu einer der Apostel war gar gros!*“ — Quanta veri specie postrema dicta sint, ex sequenti sectione appariturum esse spero.

SECTIO

SECTIO QUINTA.

Proponuntur argumenta ex ipsa epistolae Petrinae posteriori indole petita, quae eam genuinam esse luculenter evincunt.

Nonnulla, quae huc referri possent, in antecedentibus delibanda erant; graviora vero momenta iamiam singulatim atque uberius exponenda sunt.

1) In tota epistola nulla adsunt indicia, e quibus eam seriori aetate Petro apostolo suppositam esse vere eluceat. Quis nescit, libros spurios haud raro consutos esse sententiis et dictis aliunde quaesitis et male cohaerentibus? Nihil eiusmodi reperitur in epistola Petrina; nuspiam sunt loca hiulca vel versiculi sensu suo a contextu alieni. Est potius per totam epistolam aptissimus nexus sententiarum atque verborum. Quamvis concedi potest, caput tertium nonnullo temporis spatio interposito additum esse, tamen ob summam stili argumentique congruentiam arctissimamque capitis cum antecedentibus connexionem non nisi ab eodem, qui duo priora capp. scripsit, auctore subiunctum apparet *v*). Deinde constat, scriptis adulterinis plerumque nisi multa, quaedam tamen inesse solere, quae nec cum rerum

v) *Grotius*, qui epistolam non a Petro Simeone apostolo, sed a quodam Simeone, qui episcopus Hierosolymorum fuisse et ad Traiani usque tempora vixisse dicitur, profectam esse statuebat, ex difficultate, quam ei locus c. III, 1 praebebat, aliter se expedire non poterat, quam ut caput tertium novam epistolam censeret a prioribus capitibus seiungendam; sed quam vana omnia sint, quae circa nostram epistolam pro arbitrio suo ingeniique critici audacia coniecit, satis evicerunt *Nitzschius* et *Portius* l. l. c. c. nec non vener. *Klenker* in libro, cui titulum fecit: „*Ausführliche Untersuchung der Gründe für die Aechtheit und Glaubwürdigkeit der schriftlichen Urkunden des Christenthums.* Vol. I, p. 338 sqq. et Vol. III, p. 309 sqq.

rum enarratarum natura, temporumque ratione, nec cum animi indole et dictis eius genuinis, cuius sub nomine venditantur, consentiunt. Utar exemplo ad hanc materiem bene congruo. In libro apocrypho κηρυγμα Πετρου inscripto, cuius paucula loca a patribus ecclesiasticis decerpta ad nostram aetatem pervenerunt, Christus propria peccata confessus itemque paene invitus ad accipiendum Joannis baptisma a matre sua Maria compulsus esse dicebatur *x*). Quod portentum, uti per se ab omni veritate et probabilitate aberrat, sic etiam relationibus evangelistarum et, quod prius commentum attinet, expressis Petri ipsius verbis in priori ep. c. II, 22. 23 luculentissime repugnat. Pariter etiam *epistola Petri ad Jacobum apocrypha y*) plura continet, quae Petrum apostolum scribere non potuisse, primo obtutu vel certe accuratius pensitanti facile est intellectu. Alia omnino ratio est ep. posterioris Petrinae in canonem N. T. receptae. Nihil prorsus offert, quod historiae doctrinae christianae, huiusque decretis, gestio seculi apostolici et historiae rerum ipsius Petri vel eius cogitandi scribendique rationi contrarium esset. Quicquid istiusmodi epistolae adversarii, nimiae suspicioni se dantes eruere voluerunt, exactius ponderanti evanescit. Vid. sect. III et IV. Denique ne unicus quidem locus adest, quo auctor ulli factioni haereticae favorem auctoritatemque conciliaturus vel insolentiorem aliquam sententiam commendaturus videretur. Nihil apparet, quod impostorem, vel probum vel improbum dixeris, movere potuerit, ut hancce epistolam Petro subiiceret, praesertim si Judae epistola iam antea exstitisset, quae est plurimorum, qui Petrinae αὐθεντιας sollicitarunt, opinio. Neque fuisset res facilis, Petri indolem sentiendi et scribendi probe imitari, tot indicia veri apostoli ex rebus, quae ad eum pertineant, petita concinne expromere simulque omnia evitare, quae auctorem fallaciter Petri personam usurpasse prodere potuissent. Quidni ergo, quum nulla vera fraudis vestigia detegi queant, apostolum, cuius nomen epistola inscriptum habet, verum certumque eius auctorem existimemus *z*)?

2)

x) Cf. incerti auctoris *tractatum de rebaptismate* inter *opera Cypriani* edit. *Baluzii* supra cit. p. 365. 66. Locus etiam excerptus exstat apud *Grabium* T. I p. 69 et *Fabricium* P. III, p. 799 et 800.

y) iam supra citata ex *Fabricii cod. apocr. N. T.* P. II. p. 997 sqq.

z) Cf. *Michaelis Einleitung in die g. S.* cet. p. 1478. *Haenlein Handbuch der Einleitung* cet. Tom. I. p. 197.

2) Deinde si *sensum moralem*, *sensum vere christianum*, qui ex tota epistola elucet, perpendamus, sane non est ut suspicemur, auctorem fuisse impostorem. En locum praestantissimum, nullo vel maxime insigniori in utriusque foederis libris inferiorem c. I, 3—10, ubi auctor ad omnes quascunque virtutes utpote arctissimo vinculo copulatas studiose exercendas admonet! En repetitas adhortationes c. III, 1. 11. 14. 17. 18, quibus sensum religioni christianae consentaneum, sincerrimum nempe et ab omni vitio doloque alienum, excitare studet! Nonne ab omni probabilitate abhorret, hunc qui talia scripsit, dolose egisse, ita ut nomen atque auctoritatem apostoli sibi arrogaverit, quid? verbis illis οὐ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες cet. (c. I, 16.) uti non erubuerit? Et qui fieri potuit, ut qui ipse fraudem consilio quantumvis pio moliretur, tanto animi fervore in doctores inveheretur, qui fictis sermonibus (πλασοις λογοις c. II, 3.) alios decipere studerent? — Si argumenta ab ipso sensu veri atque honesti pectori humano penitus insito petere liceat iisque vim aliquam inesse non prorsus denegemus, profecto non possumus, quin Petrum apostolum, quem σωτηρ noster divinus, quae erat mentis eius perspicacia, primo adspectu hominem bonum probumque agnoverat (Matth. IV, 18. 19. Joh. I, 42.) quemque animi sui sensus apertius et fervidius ostendere solitum tota vitae eius historia edocet, verum putemus epistolae auctorem.

3) Denique epistola *non tantum* universo suo consilio, homines Judaeochristianos, ut in religione et virtute christiana colenda perseverarent atque ab erroribus et corruptelis fallacium doctorum caverent, studiose monendi, *sed etiam* singularum sententiarum vi et gravitate, sive ad dogmatum capita sive ad morum doctrinam pertineant, apostolo, qui salvatoris familiari consuetudine diligentiorique institutione fructus erat, est dignissima, Christum saepius de ψευδοχριστοις και ψευδοπροφηταις, qui brevi inter Judaeos exstituri multosque in errores seducturi sint, sermocinatum esse, constat e locis evangelistarum supra p. 29. allatis. Ad potiores vero sententias, quas auctor epistolae exhibuit, pariter conferri possunt loca sententiosa dictorum Christi ab evangelistis traditorum. Loca conferenda non quidem ita consonant, ut commentarii evangelistarum pro fonte habendi sint, ex quo auctor epistolae hauserit, probant vero, auctorem aeque ac evangelistas Christo doctore usum esse atque ab ore eius pependisse. Juvat, dicta quaedam e nostra epistola atque ex orationibus salvatoris comparare:

a) Cap. I, 3. 4. legitur, homines ad religionem christianam felicitatemque inde redundantem invitatos esse, ut divinae naturae participes i. e. sentiendi agendique sanctitate Deo similes fierent *a*). Eadem sententia inest dicto σωτηρος illustri Matth. V, 48: εσεσθε ὑμεις τελειοι, ὡσπερ ὁ πατηρ ὑμων, ὁ εν τοις ουρανοις τελειος εστι.

b) C. I 7. τη φιλαδελφια i. e. caritati, qua par est ut sectatores Christi sese invicem amplectantur, opponitur ἡ αγαπη i. e. amor, quem omnibus hominibus cuiusvis loci et ordinis debemus. Eadem distinctio est in formulis divino praeceptori usitatis αγαπαν αλληλους s. αγαπην εχειν εν αλληλοις Joann. XIII, 34. 35. XV, 12. 17. et αγαπαν τον πλησιον Matth. XIX, 19. XXII, 39. Luc. X, 27 *b*).

c) Locus c. I, 19, ubi auctor lectores suos adhortatur, ut prophetarum V. T. de Christo vaticinia studiose scrutentur, mire convenit cum illo servatoris dicto celeberrimo Joan. V, 39: ερευνατε τας γραφας cet.

d) C. II, 5—7. proponuntur exempla Noachi diluvio non exstincti, Sodomae vicinarumque urbium propter nequitiam exstirpatarum Lotique ob morum innocentiam omni periculo erepti; iisdemque exemplis Christus usus est apud Lucam XVII, 26—30 (coll. Matth. XXIV, 37—39), ubi adstantibus discipulis pariter de exitio hominum improborum una cum παρουσια του υιου του ανθρωπου imminente loquitur.

e) C. II, 19 et 20 sermo est de hominibus, qui licet doctrina christiana meliorem cognitionem consecuti sint, tamen vitiorum sordibus rursus inquinantur ideoque ad peiorem conditionem, quam quae iis antea obtigisset, delabuntur. Hic locus non tantum similitudinem habet cum dicto Christi parabolico Matth. XII, 45 coll. Luc. XI, 26, sed conspirat etiam cum sententioso illo epiphonemate in oratione, qua Christus ipsi Petro respondet Luc. XII, 47. (coll. 40. 41.) *c*). An verba Petrina c. II, 19 extr. ᾧ τις ἡττηται, τουτῳ

a) Hunc esse sensum verborum: θειας κοινωνοι γενεσθαι φυσεως, e toto contextu patet, maxime verbis seqq. ἀποφυγοντες της εν κοσμῳ εν επιθυμια φθορας. Illustratur etiam locis parallelis 1 Petri I, 14. 15. Rom. XII, 2. Hebr. XII, 10. (Ex auctoribus profanis nonnulla ad dictum Petr. illustrandum apte contulit WAKEFIELD in *Silva critica*. P. IV. p. 237.)

b) Cf. KNAPPII scripta laud. p. 369 seqq.

c) Idem salvatoris effatum Jacobus quoque in epistola c. IV, 17. expressisse videtur.

τουτῳ και δεδουλωται ex oratione Christi Joan. VIII, 34 an ex usu vitae communis derivanda sint, est in medio reliquendum. Paulus in ep. ad Roman. VI, 16 pari locutione utitur.

f) Sententia, quae loco c. III, 9. inest, congruit cum verbis Christi apud Lucam c. IX, 56 et Joan. III, 17. XII, 47 atque dictum c. III, 10. effluxisse videtur ex eiusdem praestantissimi praeceptoris sermone (Matth. XXIV, 27—29. 42—44 coll. Luc. XII, 39. 40.), cui Petrum adfuisse ex sequenti Lucae versiculo evidenter apparet.

g) Deinde illustre dictum c. III, 13, quamvis quoad verba ex illa poetica aevi felicioris descriptione Jesaiana (c. LXV, 17. LXVI, 22.), quod supra p. 55 significavi, effictum esse videatur, negari tamen non potest, quin egregiam sententiam contineat, quam Christus in oratione illa montana pluribus enunciavit paradoxis Matth. V, 3—12. Cum admonitione vero c. III, 14 conferri merentur, quae Christus in eandem sententiam elocutus est apud Lucam XXI, 35. 36. et loco Petrino c. III, 17 convenit dictum Christi in eadem materie versantis Marci XIII, 5. 23. Luc. XXI, 8.

4) Considerandum est tandem, an epistola posterior Petri nomine inscripta cum priori ep. veterum auctorum suffragio ecclesiarumque consuetudine probata consentiat vel dissentiat. Nonnullis veteribus ut et recentioribus epistolam posteriorem stilo discrepare visam esse a priori, supra memoratum, simul vero etiam edoctum est (p. 59—61), non solum ex suspicione illa, vel si iusta esset, parum aut nihil effici posse ad quaestionem de αυθεντια huiusce epistolae diiudicandam, sed etiam multum abesse, ut stilus in utraque epistola vere discrepet, ut potius plurimis modis mire conspiret. Superest, ut inquiratur, an sententiis quoque utraque epistola conveniat. Eorum, qui id egerunt, ut αυθεντιαν posterioris sollicitarent, nemo quantum scio, ulla loca detexit, quae sensu suo priori epistolae essent contraria. Nuper vero doctiss. *Bretschneider d*) attigit repugnantiam, quam in locis *ep. poster.* II, 4 (coll. Judae v. 6) et *ep. prioris* V, 8 existere putat. In illo loco dicuntur αγγελοι αμαρτησαντες *catenis vincti* et *in tartaro servati* usque ad iudicium die extremo solennius et gravius exercendum. In loco cit. prioris ep. vero *diabolus* ut *pessima* inter religioni christianae addictos *moliri pergens* describitur verbis illis notissimis:

ὁ

d) in libro, cui titulum fecit: „*Die historisch-dogmatische Auslegung des N. T.* (Lips. 1806) p. 300.

ὁ ἀντιδικος ὑμων διαβολος, ὡς λεων ωρυομενος, περιπατει; ζητων τινα καταπιη. Jam reſpexiſſe videntur hanc repugnantiam interpretes, qui h. l. voce διαβολος non malum angelum, ſed *quemvis hominem calumniantem* ſignificari volunt e) ſimulque pars eorum verba ſing. ὁ ἀντιδικος ὑμων διαβολος per enallagen numeri pro plur. poſita eſſe ſtatuunt. Verum etiamſi hanc interpretationem miſſam faciamus, non eſt ut de difficultate ſolvenda ſolliciti ſimus. In *poſteriori epiſtola* Petrus mythicis Judaeorum traditionibus ſeſe accommodans lapſos angelos ſiſtit tanquam *corpore* indutos, qui inſtar hominum (cf. ibidem c. II verſus ſeqq. 5. 6. 9) poenam luant corpori inflictam. Inde non ſequitur, eum cogitaſſe hos angelos, quaſi omni vi et efficacia in *animos* hominum chriſtianae doctrinae eiusque ſectatoribus adverſantium eſſent privati. Praeterea forte l. c. *poſterioris ep.* non omnes quoscunque angelos improbos, ſed tantum ſingularem eorum claſſem in mente habuit, e. gr. eos, quos Judas (in loco parallelo) et qui huic praeiviſſe videtur, Pſeudo-Enochus (v. ſupra p. 31 ſq.) diſtinctius inſignivit utpote tales, qui provincia ſua coeleſti derelicta ſeſe in terra nefandae libidini dediſſent ſtatimque poena quadam divina affecti eſſent. Poterat aliam claſſem eorum ſtatuere, qui talem poenam haud ſubiiſſent inque tartarum non eſſent detruſi. Deinde perſpicuum eſt, apoſtolum in illo *prioris* epiſtolae loco (aeque ac Paulus Epheſ. VI, 12 et Joannes in Apocal. XII, 9) ad iudaicam ſentiendi et dicendi indolem deſcendiſſe, qua omnes nefarii conatus, inprimis, qui veritatem deletum irent, ad daemonum pravorum conſilium atque poteſtatem referebantur. Voces περιπατει et καταπιη non tam ad diabolum ſpectare, quam ad leonem, quocum comparatur ex uſu, quo etiam in V. T. (e. gr. Pſ. X, 9. Nah. II, 12. 13) adverſarii inſidioſi atque atroces cum leonibus comparantur, non eſt ut moneamus. Denique id quoque addiderim: Fac ut notiones, quae inſunt binis popularibus commentis in utroque illo dicto (2 Petri II, 4 et 1 Petri V, 8) expreſſis, αντιλογιαν quandam praebeant, minime tamen eſt colligere, utrumque vario loco et tempore, ubi et conſilium ſcribendi non idem erat, ab apoſtolo ſcribi non potuiſſe. Impoſtor, qui Petrum exacte referre ſtuderet, forte talem repugnantiam duxiſſet apprime eſſe evitandam,

e) Quo-ſenſu vertit ven. *Stolz*: „Der euch anfeindende Verläumder *geht wie ein hungriger Löwe auf Raub aus und ſucht Beute zum Verſchlingen.*

tandam; genuinus auctor vero, quae olim ſcripſerat, tam anxie non circumſpiciebat.' — Quibus expoſitis affirmare licet, nulla verae diſcrepantiae ſententiarum indicia, quae animum movere atque turbare poſſent, in epiſtolis Petrinis reperiri. Quaeritur vero, annon e contrario poſterior, licet non plane eadem tractet, quae in priori expoſita ſunt, aliquas ſententias inſigniores cum priori ep. vere communes habeat? — Exſtant omnino tales ſuntque eo gravioris momenti, quum in iis adhibendis ne minimum quidem ſtudium appareat omnesque, quae ex utraque epiſtola comparari queunt, loco ſuo et contextui ſint aptiſſimae. Praetermitto eas ſententias inter ſe bene congruas, quae vulgatiores ſunt, quam ut inde iudicari poſſit, e. gr. 1 epiſt. I, 13—22 coll. 2 ep. I, 5—9. et 1 ep. I, 4. 8. 9 coll. 2 ep. I, 4. 11. Juſta vero attentione dignum eſt:

a) In utraque ep. Petrina (ep. pr. I, 10. 11. ep. poſt. I, 19—21. III, 2) prophetas V. T., qui Chriſtum divinaverint, ſimili modo commendari *f*);

b) auctorem in utraque epiſtola (in priori I, 12. V, 1. 12; in poſt. I, 16—18) ſe ut teſtem locupletem hiſtoriae atque doctrinae Jeſu Chriſti ea fiducia exhibere, quae virum iuſtum et probum decet *g*);

c) ſicuti in priori ep. *αποκαλυψις* Chriſti fidenter exſpectanda quavis commoda occaſione (v. c. I, 7. 13. et IV, 13. V, 4) memoratur, ita eam in poſter. c. III, 4—12 (ubi voci *αποκαλυψις* ſubſtituta eſt ſynon. *παρουσια*) ab iniuſtis dubitationibus et cavillationibus fallacium doctorum probe aſſeri;

d) in utraque epiſt. (pr. I, 12 extr., poſt. II, 4. 11) nonnulla de angelis, licet non eadem, *μυθικως* exponi;

e) in utraque (nempe in pr. III, 19, in poſt. II, 4. 9. 17) mentionem fieri tartari, ubi ſcelerati angeli hominesque aſſerventur;

f) in utraque (pr. III, 20; poſt. II, 5 coll. III, 6) diluvium, quod tempore Noachi ingruerat, memorari ſimulque expreſſe dici, octo duntaxat homines ex periculo illo eſſe ereptos;

g)

f) Similiter *Petrus* etiam *in orationibus* a Luca *Actuum apoſtolicorum* commentario inſertis ad vatum hebr. praedicta de Chriſto provocat e. gr. Act. III, 18. 21—24. X, 43.

g) Eodem modo Petrus Act. IV, 20 et X, 39 ſe fidè digniſſimum rerum a Chriſto geſtarum teſtem declarat.

g) in utraque (pr. IV, 2. 3. 4 et V, 8; poſter. III, 17) lectores monerí, ne ab improbis ſe decipi patiantur;

h) in utraque (pr. IV, 18; poſter. II, 3. 17) poenam graviſſimam annunciari improbis mox ſubeundam.

Praeterea in utraque epiſtola (in priori nempe c. III, 5. 6 et 20; in poſter. II, 5. 8. 15. 16) exempla e veteri Hebraeorum hiſtoria commode adhibentur et ſicuti in poſteriori ep. (vid. ſupra p. 74 et 75) nonnulla dicta ad ſervatoris effata, quae nobis evangeliſtae tradidere, oppido ſpectant, ſic quoque priori ep. plurima inſunt, quae cum ſermonibus Chriſti mire conſpirant. Vide ep. prior. c. I, 8 coll. Joan. XX, 29. c. I, 10 — 12 coll. Matth. XIII, 17 et Luc. X, 24. c. II, 7 (Actor. IV, 11) coll. Matth. XXI, 42. c. II, 12 coll. Matth. V, 16. c. II, 21 coll. Joann. XIII, 15. c. III, 14 coll. Matth. V, 10. c. IV, 14 coll. Matth. V, 11 *h*)

Quodſi iam ſingula argumenta copioſe et integre expoſita revolvamus eorumque coniunctorum vim atque robur reputemus, optimo iure concludere poſſe nobis videmur: *Epiſtola poſterior, quae Petri nomine inſignita in canone N. T. legitur, eſt ab ipſo apoſtolo, prioris epiſtolae auctore, divini ſervatoris diſcipulo vere ſcripta.*

h) Plura alia loca ut παραλληλα collegit cl. *Schulze* in libro: *Der ſchriftſtelleriſche Character und Werth des Petrus* cet. p. 5 ſqq. Sed nonnulla attulit, quae iuſte comparari non poſſunt.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

Exponuntur rationes, ex quibus epistola, quae Judae nomine fertur, ab apostolo conscripta esse maxime dubitari possit, addita coniectura, quonam modo epistola orta maturiusque Petrina auctoritatem consecuta sit.

Epistolam *Judae*, quae in canone N. T. epistolarum collectionem claudit, ex posteriori ep. Petrina maximam partem esse expressam, supra in sect. II satis evicisse putamus; iam inquirendum est, an *Judas apostolus*, qui *Thaddaeus* et *Lebbaeus* (Matth. X, 3. Marci III, 18) cognominabatur et secundum loca Actor. I, 13 et Lucae VI, 16 cuiusdam *Jacobi filius* erat *i*), eam conscripsisse existimandus sit. Veterum nonnulla e. gr. *Tertullianus* et *Origenes* apostolo hancce ep. omnino attribuerunt, quod ex dictis eorum supra (p. 9 et 13) allatis constat. Pariter multi quoque doctorum recentiorum *k*) Judam apostolum epistolae auctorem esse iudicarunt. Et fieri potuisse,

i) Nonnulli recentiores quidem in binis locis cit. ad Ιουδαν Ιακωβου non υιον, sed αδελφον supplendum esse censent; at praeter omnem probabilitatem, nam in antecedd. ad Ιακωβον του Αλφαιου manifesta est ellipsis του υιου, non του αδελφου, coll. Matth. X, 2. 3. Quodsi αδελφος intelligendus est, expresse memoratur. Vid. Matth. X, 2. Marci III, 17. Luc. VI, 14. Praeterea opinioni, qua *Judas apostolus* et Jacobus apostolus putantur *Alphaei* filii et αδελφοι κυριου, alia quoque obstant. Vid. ven. *Paulum* in commentario ad Luc. VI, 16, ubi hanc rem maxime implicitam summa ακριβεια exposuit et illustravit.

k) e. gr. b. *Storrius* passim in Diss. cit., *Schleusner* in Lex. N. T. s. v. Ιουδας, *Haenlein* in commentar. ad ep. Judae p. 57, *Stolz* in *Erläuterungen zum*

N.

tuiſſe, ut qui ipſe apoſtolus erat, ex alius apoſtoli libello alia deſcriberet, alia vel contrahendo vel dilatando diffingeret, equidem haud negaverim. Sunt tamen argumenta, quae ad eam opinionem labefactandam maxime valeant.

1) Offendit omnino ut apoſtolo indignum, quod tali modo epiſtolam compilaverit. Apoſtolum, qui ipſius ſervatoris diligentiori inſtitutione fructus erat, puduiſſe crediderim, tam preſſe alius ſcriptoris veſtigiis inſiſtere. Poterat enim fraudis ſpeciem praebere aut ignominioſam ingenii imbecillitatem prodere. Certe ſi ex epiſtola Petrina non dubitaſſet, cogitata verbaque haurire, debebat id, ne aliena ſibi arrogaſſe videretur, ipſe ingenue profiteri. Contenderunt quidem nonnulli *l*), Judam plagiariis haud annumerandum eſſe, quum ipſe *v.* 17 et 18 conceptis verbis memoraverit, ſe apoſtolorum effata referre. At petunt excuſationem, unde nullo modo peti poteſt. Hortatur enim l. c. lectores, ut dicta *apoſtolorum*, qui de flagitioſis corruptoribus monuiſſent, *in memoriam revocent*, minime vero ait, ſeſe *unius* Petri verba phraſesque accommodaviſſe.

2) *Apoſtolum* Judam, etiamſi eum epiſtolam Petri apoſtoli in uſum ſuum ea, qua vix deceat, ratione vertiſſe concedamus, omnino credere licet, paſſim quaedam adhibiturum fuiſſe, quae ad dicta ſervatoris (in evangeliſtarum commentariis tradita) propius accederent ipſumque tanquam divini praeceptoris diſcipulum demonſtrarent, cuiusmodi Petrus in utraque epiſtola (v. ſect. V.) ceterique apoſtoli, qui familiari conſuetudine cum Chriſto iuncti fuerant, ſaepius propoſuerunt. Quamvis enim auctori conſilium fuerit, *brevem* tantum epiſtolam ſcribendi, immo quamvis *feſtinanter* cogitata ſua literis mandaverit *m*), coniiciendum tamen eſt, cum non potuiſſe, quin non-

N. T. fascic. VI, p. 88, alii. Plurimi eorum Judam apoſtolum Alphaei filium fuiſſe putant (v. not. praeced.), quod vero ad noſtram disquiſitionem nihil refert.

l) e. gr. *Hofmann* ad *Pritii* introductionem in lect. N. T. p. 109.

m) Nonnulli interpretum e. gr. *Michaelis* verbis πασαν σπουδην ποιουμενος γραφειν (v. 3.) notionem *feſtinandi* ineſſe iudicarunt, cl. *Stolzius* quoque vertit: „*Da ich ſehr eilig an euch ſchreibe.*“ At vulgaris interpretatio ex frequentiori linguae uſu petita — „*ſerio et ſtudioſe id agens ut vobis ſcribam*“ — multo accommodatior videtur. Epiſtolam, qua quis conaminibus fallacium et ſceleratorum hominum ſeſe opponere et ne quid respublica chriſtiana detrimenti capiat, impedire vult, feſtinanter non ſcripſerit, certe ſcripſiſſe non indicaverit. Praeterea ex diligentiori veſtigia epiſtolae Petrinae ſublegendi cura apparet, epiſtolam in feſtinatione minime ſcriptam eſſe.

nonnullis dictis se talem proderet, qui quicquid γνωσεως christianae haberet, ex arctiori ipsius servatoris disciplina haberet.

3) Plurima eorum, quibus Judas ab epistola Petrina discedit quaeque ergo ex ingenii ipsius dote s. aliunde depromsit, eum mythorum vanarumque opinionum et traditionum Judaeorum studiosissimum fuisse, quam maxime probant. Non solum exempla pravorum angelorum et flagitiosissimorum Sodomae et Gomorrhae incolarum amplificat atque exornat (v. 6. 7.) et commentum de altercatione inter angelum Michaelem et Satanam exorta, cui Petrus non nisi leviter alludit, expressis verbis in medium profert (v. 9.), sed etiam dictum Pseudo-Enochi tanquam vaticinium afflante spiritu divino prolatum inserit (v. 14. 15.) et postremo lectores ut vel a veste impura eorum, qui veritate christ. alieni essent, caverent, sollicite admonet (v. 23). *Tali* modo mythi librique apocryphi Judaeorum in nulla scriptione vere apostolica usurpati sunt *talisque* admonitio, quam vel insulsam dixeris, in nullo alio sacri codicis loco reperitur. Largior tamen, hoc argumentum, si unicum esset, quod proferretur, non satis valere ad apostolicam epistolae originem in dubium vocandam, propterea quod auctor ad lectores ingenio imbecillos eosque forte commenta et apocrypha plebeculae iudaicae in deliciis habentes sese prudenti consilio accommodavisse autumari possit. At coniunctum cum ceteris argumentis videtur mihi non omni vi destitutum, praesertim quum auctor iuxta illa dicta, quae tantae sunt offensionis, nulla attulerit, quae eum perfectiorem et liberaliorem γνωσιν apostolo dignam habuisse declarent.

4) Judas, quod p. 2. in prooemio observavi, neque in epistolae inscriptione neque alio loco sese apostolum nominavit talemque gessit. Si ille apostolus Judas Thaddaeus fuisset, non est dubium, quin se aeque ac Petrus et Paulus, expresse apostolum dixisset; quum enim ψευδοδιδασκαλους, qui arte et fallacia in hominum animos sese insinuaverant, hac epistola impugnaret, ei sane non superfluum videri poterat, apostolicam prae se ferre auctoritatem. Observarunt quidem nonnulli *n*), voces Ιησυ Χριστυ δουλος, quibus se Judas v. 1. significavit, ab apostolis Petro et Paulo ad dignitatem apostolicam designandam usurpari. At frustra provocant ad loca 2 Petri I, 1. Rom. I, 1. Phil. I, 1, nam in binis eorum (coll. Tit. I, 1.) voci δουλος additum legitur nomen αποστολος et in tertio (Phil. I, 1.) Paulus eiusque comes

n) c. gr. veter. HAENLEIN l. c. p. 57 coll. 50.

comes et συνεργος Timotheus coniunctim nominati sunt δουλοι I. Χιρστου. Ceteroquin hocce argumentum eo gravioris ponderis mihi esse videtur, quum Judas, quod bene monuit b. MICHAELIS o), haud melius, quam se apostolum expresse in epistolae inscriptione nominando, a multis cognominibus suae aetatis sese discernere potuisset, siquidem vere fuisset apostolus. Eum vel v. 17 ita scripsisse, ut se ab apostolis tanquam iuniorem minorisque auctoritatis scriptorem seiunxisse videatur, supra p. 45 memoravi. Si ipse e numero apostolorum fuisset, quis non intelligit, ei nisi ὑπο των αποστολων ἡμων, certe ὑπο των αλλων (s. λοιπων) αποστολων scribendum fuisse?

5) Si vera sunt, quae *Hieronymus* p) et syriaci nonnulli auctores q) de *apostolo Juda Thaddaeo* commemorarunt, eum doctrinam christianam in Syria praedicasse ibique ecclesiae fundamenta posuisse, haec epistola ab eo scripta esse non potest, quippe quae in vetustissima syriaca N. T. versione non exstat. Quicquid fundator ecclesiae idemque apostolus graece scripserit, id inter libros sacros syriace legendi sane summo desiderio flagrassent ecclesiae socii; quin omnium epp. catholicarum nullam fortasse prius in linguam suam vernaculam transferendam curassent. Verum enim vero illa traditio de Juda apostolo est non satis certa. Secundum alios auctt. syriacos r), quibus *Eusebius* s) consentit, Thaddaeus, qui in Syria primus evangelii interpres fuit, e numero LXX discipulorum erat. Alii contra utrumque, tam apostolum, quam hunc iuniorem in Syria praeconem doctrinae christianae egisse referunt. At renunciemus argumento, quod ex relatione tam parum firma petitur. Jam propter ceteras rationes propositas *epistola ab apostolo scripta esse nisi negari, certe maxime dubitari potest* t).

Ve-

o) *Einleitung in die göttl. Schriften des n. Bundes* §. 256.

p) ad Matth. X, — Opp. ed. *Vallarsii*. T. VII Pars I p. 57.

q) non solum auctor recentior *Jesujabas*, quem MICHAELIS l. c. p. 1493 ex ASSEMANNI Bibl. orient. T. III. P. I p. 299. 302 citavit, sed etiam aliquot antiquiores. Vid. ASSEMANNI Diss. de Syris Nestorianis — in Bibl. orient. T. III P. 2da p. III et p. XIII — XV.

r) Vid. ASSEMANNI Bibl. orient. T. I. p. 318 seqq. T. III. P. I, p. 302, T. IV. p VIII. seqq.

s) in Hist. eccles. I, 13.

t) Quorundam lectorum causa annotare iuvat, iam b. *Lutherum* (v. eius *Opera* ed. WALCH. Vol. XIV, p. 146 seqq.) et auctores *centuriarum Magdeburgen-*

Verum enim eo quod epiſtolam, cuius auctor ſe ipſum nuspiam apoſtolum nominavit, ab apoſtolo Juda conſcriptam eſſe dubitamus, nondum ἀνθεντια epiſtolae ſollicitatur. Fuerunt in aevo apoſtolico alii, quorum nomen erat Judas. Novimus duas claſſes ἀδελφων Ιησου et *in utraque* nominatur *Judas* v). Prima claſſis erat fratrum ſervatoris germanorum, qui ei eiusque cauſae parum faviſſe adeoque hic minime reſpiciendi eſſe videntur. Matth. XII, 46. XIII, 55. Marci VI, 3 x). Altera erat conſobrinorum Chriſti, quorum unus erat *Jacobus*, vulgo *minor* et ſignificantiori cognomine δικαιος appellatus. Iſte poſtea plures per annos eccleſiae Hieroſolymitanae praeerat ſummaque auctoritate pollebat, Act. XV, 13 ſq. XXI, 18 ſq. Gal. I, 19. II, 9. *Euſeb.* H. E. I, 12. II, 23 et III, 20. (Binis locis poſterioribus affertur teſtimonium *Hegeſippi*, qui apoſtolorum temporibus proximus fuit.) Eundem Jacobum epiſtolae auctorem eſſe, quae catholicarum epp. in noſtro canone prima exſtat, maxime ad probabilitatem accedit y). In huiusce epiſtolae (Jac.) inſcriptione (c.

genſium (I lib. 2 cap. 10 p. m. 584.) ut et alios veterum Theologorum poſt reformatam eccleſiam celebratorum (v. WEBERI *Beiträge zur Geſch. des n. t. Kanon's* p. 160 ſeqq.) apoſtolicam epiſtolae Judae originem negaviſſe. *Lutherum* et *centuriatores* videmus iam eadem fere argumenta tetigiſſe, quae nosmet ſupra expoſuimus.

v) Vid. cel. PAULI commentar. ad Luc. VI, 16 pag. 613. ed. 2dae.

x) Cf. quoque *Epiphan.* in Haereſi LXXVIII, p. 1041 ed. ſupra cit., *Hippolytus* apud *Nicephor.* lib. II, c. 3 nec non *Euſeb.* in H. E. II, 1. Videntur vero ipſi veteres fratres Chriſti germanos, Joſephi filios, a conſobrinis, Clopae filiis, non ſemper diſtinxiſſe.

y) Cf. praeter *Euſeb.* H. E. II, 23 verſus finem ven. KLEUKER „*über den Urſprung und Zweck der apoſtoliſchen Briefe*" p. 245. PAULUS l. l., J. E. C. SCHMIDT in „*hiſtoriſchkrit. Einl.*" cet. §. 136. WELCKER in clave cit. p. 10. ſeqq. alii. Sunt quidem multi interpretes, qui Jacobum ἀδελφον κυριου atque Jacobum apoſtolum, Alphaei filium, putent unum eundemque fuiſſe ipſeque olim huic opinioni addictus fui; at graviores rationes ab eruditis modo laudatis expoſitae tanti ponderis mihi videntur, ut iam ad eorum ſententiam tranſire non dubitem. Argumentum e loco Gal. I, 19 petitum, quo nonnulli apoſtolum Jacobum κυριου ἀδελφον fuiſſe probatum iverunt, vim non habet, quum particulam εἰ μη excluſive interpretari liceat. Vid. KLEUKER l. c. p. 240 nota 417 et PAULUS l. c. p. 611.

(c. I, 1.) auctor se pariter atque Judas *non* apostolum, *sed* (θεϱ και) κυϱιϱ I. X. δϱλον nuncupavit. Judas vero se in fronte epistolae suae simul ἀδελφον Ιακωβϱ nominavit. Quid ergo? — *Judas* noster erat fortasse *Christi consobrinus* (ἀδελφες κυϱιϱ), cuius posteri teste *Hegesippo* apud *Euseb.* in H. E. III, 20 (ubi οἱ ἀπο γενϱς τϱ κυϱιϱ υἱωνοι Ιϱδα, τϱ κατα σαϱκα λεγομενϱ αὐτϱ ἀδελφϱ dicuntur) adhuc deinde aevo Domitiani superstites erant. Id quod etiam nonnulli critici, inprimis recentioris aetatis, collegerunt *z*) — Judam scriptionem suam lectoribus, quibus Jacobus ipso illustrior esset, commendandi gratia sese ἀδελφον Ιακωβϱ nominasse vix dubitari potest hincque omnino licet coniicere, eum illius Jacobi, cui episcopalis Hierosolymorum sedes ab apostolis tradita erat (*Euseb.* H. E. II, 23 init.), fratrem *vel* vere fuisse *vel* certe videri voluisse *a*). Par est ex mea quidem sententia, ut res sic in ambiguo relinquatur, quippe dubia obiici possunt, an auctor epistolae vere frater illius Jacobi adeoque Christi consobrinus fuerit. Quodsi enim fuerit, omnino mirum est, quod non auctoritatis suae apud lectores augendae studio se expresse κυϱιϱ ἀδελφον nominaverit aut aliis indiciis talem se exhibuerit, qui arctiori propinquitatis et disciplinae nexu servatori coniunctus fuerit. Deinde etiam coniiciendum esset, Christi consobrinum eumque fratrem germanum illius Jacobi, qui in prima epp. catholicarum praestantissima religionis christianae decreta et praecepta, nulla superstitione iudaica admixta *b*), pure luculenteque exposuit, non talia traditurum, qualia v. 9. 14. 15 et 23 epistolae insunt, nec tali modo epistolam Petri usurpaturum fuisse. — Largior, hasce obiectiones non multum valituras esse, si Judam, Jacobi illius minoris fratrem epistolam conscripsisse aliunde certis indiciis et testimoniis constaret; quum ista vero desint, dubia illa non plane contemnenda esse videntur. — Ven. SCHMIDTIUS quidem *c*) inductione quadam, ut cum rhetoribus loquar, illam opinionem ad maiorem studuit probabilitatem evehere, sed dubito an vere evexerit. Quo-

z) e. gr. KLEUKER, PAULUS et SCHMIDT in libris modo laud.

a) Si *apostolum* Jacobum, sive eum qui Zebedaei, sive eum qui Alphaei filius erat, intellexisset, sane id distincte indicasset. Sunt alia quoque, quae id assumere prohibent et obstant.

b) Locus Jac. V, 17, quem ipse supra p. 58 adduxi, contrarium minime probat; quod ibi refertur non e sacro V. T. codice, sed ex aliqua traditione haustum, non aeque est offendiculo, quam quod in verss. cit. ep. Judae exstat.

c) in l. cit. §. 143.

Quoniam posteri Judae, qui ἀδελφος κυριου nominatur, tempore Domitiani in Palaestina agrorum cultores degisse referuntur *d*), credit, ipsum quoque in Palaestina degisse eosdemque agros coluisse et quum in epistola lectores, ut ab hominum seditiosorum consortio caverent, moneantur, in Palaestina vero tum temporis eiusmodi homines grassati sint, qui postea vel exitium Hierosolymorum effecerint, coniicit, Judam illum non ultra fines Palaestinae transgressum epistolam bono consilio exaraſſe, non tamen graeca lingua, sed probabilius idiomate illo palaestinensi exaraſſe. At omnia haecce, quod pace viri doct. dixerim, non nisi audacter et parum probabiliter conjecta esse mihi videntur. *Primo* in epistola est nullum certum indicium, quo colligendum esset, corruptelarum machinatores ab auctore perstrictos tales fuisse, qui sceleſto *rerum publicarum* in Palaestina evertendarum studio arderent *e*). Nec eos Judaeos, quos cel. SCHMIDTIUS intelligere videtur, sed potius Judaeochristianos eosdemque fere, quos Paulus atque Joannes locis supra p. 29. allatis notaverint, fuisse crediderim. *Deinde* quod posteri Judae, τῶ ἀδελφῶ κυριου in Palaestina degerint ibique aetate Domitiani agros coluerint, ex eo minime sequitur, eum quoque multis annis ante ibi in eadem sorte degisse nec magis apparet, ipsum nec vero alium quemdam christianos in Palaestina degentes, ne a fallacibus et sceleſtis hominibus se abripi paterentur, dehortatum fuisse. *Denique* qui non vacaret religioni christianae publice tradendae, sed ruri vitam ageret, vix putandus est animum induxisse ad auctoritatem doctoris publice constituti sibi accommodandam epistolamque, qua christianos totius provinciae *f*) regeret, scribendam. Potius ex mea quidem sententia, quisquis auctor epistolae fuerit, munus ecclesiasticum obibat; id quod ex tota cogitandi dicendique ratione, quam epistola praebet, veri simillimum est. Nec aliam, quam qui alicubi rebus ecclesiasticis nisi praeerat, certe intererat, maturiori aevo christiano, quo epistola scripta esse negari nequit (v. sect. I.), ex Petrina tali modo haurire potuisse crediderim.

B.

d) Cf. testimonium *Hegesippi* supra p. antec. citatum.

e) Vocibus κυριοτητα et δοξας v. 8. *magistratus civiles* minime denotatos esse, supra p. 36. not. r iam observavimus nec ex dictis SCHMIDTII satis constat, an eas hoc sensu acceperit.

f) Equidem non asserendum puto, corruptores in ep. notatos *non alios* fuisse, quam qui in *Palaestina* saevierint; Paulus et Joannes, ubi de talibus agunt, maxime homines in Asiae minoris regionibus grassantes intellexisse videntur.

B. BERGER *g*) epistolam ab apostolo Juda haud conscriptam, quin plane spuriam et suppositiam declarans, originem eius hoc modo divinare voluit: Abscissam posterioris epistolae Petrinae partem, mediam nempe, initio et fine detruncato, viro cuidam, qui in eosdem, quibus Petrus succensebat, haereticos acerbissimo animo ferebatur, in manus incidisse eique tanquam scriptum apostoli cuiusdam innotuisse, ita tamen ut certum apostoli nomen fugeret. Tum causis quibusdam, quae satis variae cogitari possint, permotum ut Judae apostolo fragmentum tribueret, huiusce aliquos locos eruditione iudaica exornavisse atque initio et fine ad modum aliarum epp. apostolicarum adiecto validissima arma telaque contra haereticos parata esse existimavisse. Equidem hanc quoque coniecturam, licet veritati propius absit, adoptandam esse negaverim, quoniam sic ansa epistolae consarcinandae a casu atque fortuna parum probabili derivatur, maxime vero quod concinnatori epistolae caput primum et tertium Petrinae ep. omnino cognitum usurpatumque fuisse videatur (cf. supra sect. II, inprimis p. 43—47), nihilque impediat, quominus auctorem Judae nomen vere tulisse Jacobique cuiusdam fratrem vel fuisse vel certe esse voluisse putemus.

Quid ergo? Quodsi de origine, quam Judae epistola ex Petrina duxerit, post tot secula coniecturam facere liceat, sequentia mihi ad probabilitatem maxime accedere videntur. Presbyter quidam Judae nomine appellatus incidebat forte in epistolam Petrinam non multo ante obitum ab apostolo scriptam vel ipse is erat, ad quem epistola perferebatur cum ecclesiis, ubi corruptores sese insinuaverant, communicanda. Persuadebat sibi, eam longiorem atque in cap. 1 et 3 praescriptione et adhortatione universe exposita plenioremesse, quam ut ad levem animum haereticorum eorumque assectarum movendum et emendandum vim habitura sit. Fortasse quoque credebat, iis quae in epist. παρουσιαν Christi futuram spectent, errores dubiaque fallacium διδασκαλων non satis refelli vel hosce iis dictis aliquo modo perperam usuros esse. Consilium ergo capiebat, partem ep. Petrinae, inprimis secundum caput, quod unice homines illos a veritate atque vitae integritate digressos perstringit, a ceteris seiungendi sicque diffingendi, ut inde nova ep., quae ad iustum finem; perditissimos morum corruptores profligandi christianosque usque eo nondum depravatos probe monendi accommodatior esset, exoriretur. Voces phrasesque Petrinas passim servabat

g) in libro supra cit. *Versuch einer mor. Einleitung in das n.* T. T. II, p. 395.

bat, paſſim vero vel breviando vel dilatando immutabat. Maxime autem quum ipſe iudaic. traditionum mythorumque amantiſſimus eſſet, lectores quoque amore eorum detentos rationibusque inde ad perſuadendum petitis facilius ceſſuros ſciret credereteve, nonnulla eiusmodi ex libris apocryphis immiſcebat. Epiſtolam tali arbitrio mutilatam atque immutatam, vel potius novam ſententiis tantum dictisque Petrinis intertextam tanquam ab ipſo apoſtolo concinnatam in vulgus edere verebatur, fortaſſe ipſe quoque epiſtola paſtorali auctoritatem nominisque gloriolam quaerere volebat, inde ſuo ipſius nomine inſcripto opuſculum in lucem proferebat. Ut vero conſilium, morum corruptelas e republica chriſtiana repellendi citius ac efficacius perficeretur, fortaſſe epiſtolam paucos tantum verſiculos complectentem ſtatim pluribus exemplis deſcribendam curabat. Atque inde fieri potuit, ut maturius aliis amplioribus et fructuoſioribus ſcriptis vere apoſtolicis divulgaretur, praeſertim quum illud quoque ornamentum e traditione iudaica librisque apocryphis petitum unaque inſignis effatorum amaritudo forſan nonnullis primorum ſeculorum hominibus quam maxime arrideret. Pro epiſtola vero ab ipſo apoſtolo Juda profecta, quis eſt quin intelligat, eam iam ſeculo ſecundo putari potuiſſe, ſi ab eccleſiaſticis ob argumenti rationem in deliciis habebatur. Quod autem attinet epiſtolam Petrinam, unde Judas tot ſententias phraſesque hauſerat, eam quidem non prorſus delebat, cohibebat vero, ne illico in publicum prodiret. Quum deinde autem innoteſceret, auctoritate epiſtolae Judae iam firmata, quis miretur, eam parum expetitam, quin pluribus in dubium vocatam atque prorſus neglectam eſſe? —

Corrigenda:

Pag. 24 lin. penult. leg. epistolam *Judae.*
— 26 lin. 20 leg. Petrum et *Judam.*
— 29 lin. 21 leg. παρεισαξουσιν.
— 40 not. y lin. 1 leg. multorum.
— 79 iin. 6 in textu leg. nonnulli.

VIRO

SUMME VENERABILI ET DOCTISSIMO

IOANNI CHRIST. GUIL. DAHL

THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO
ET SEMINARII PAEDAGOGICO - THEOLOGICI DIRECTORI
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

DIGNITATEM DOCTORIS THEOLOGIAE

D. VI FEBRUARII A. C. MDCCCVII

EX AUCTORITATE ORDINIS THEOLOGORUM

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

RITE COLLATAM ESSE

PUBLICE TESTIFICATUR

D. WERNER CAROLUS LUDOVICUS ZIEGLER

FACULTATIS THEOLOGICAE H. T. DECANUS.

ROSTOCHII
TYPIS ADLERIANIS.

(624)

Quum Vir ſumme Venerabilis, DAHL, in quem dignitatem Doctoris Theologiae collatam eſſe hoc ſcripto indicatur, a nobis petiiſſet, ut ſummos ipſi in theologia honores decerneremus, et ſpecimen exhibuiſſet legitimum, quo ſibi aditum ad eos pararet; nos vota collegae coniunctiſſimi libenter ac ſine ulla mora habuimus rata. Quis enim dignior nobis videatur, in quem hos honores conferamus, quam hic talis Vir, qui per plures annos de republica noſtra literaria et docendo et ſcribendo eximie meruit, et quem libentiori animo hac dignitate decoremus, quam eum, qui iamdudum collegii vinculo nobiscum erat coniunctus? Eſt igitur omnino, quod cum *Plauto* dicamus „*promerenti hoccine pretii redditur*“ et cum *Cicerone* „*fructus omnis praeſtantiae tum maximus capitur, quum in proximum quemque confertur*“ *a*). Verum eadem neceſſitudo, quae mihi, Ordinis noſtri interpreti, cum Viro doctiſſimo intercedit, me impedit, quo minus in laudes eius excurram, et cogit me, in exſequendis iis, quae iam officii mei ſunt, modeſte conquieſcere. Decrevit enim Ordo noſter, ut in his ſolemnibus indicendis, more a maioribus inſtituto proluderentur quaedam, quae ab argumento diſſertationis pro obtinenda dignitate oblatae haud aliena eſſent. Conſtitui igitur pauca diſſerere

de ſenſu nominis epiſtolarum catholicarum, earumque numero in vetuſtiſſima eccleſia.

Inter varias, quas viri docti de ſenſu nominis των επιστολων καθολικων tulerunt ſententias, quarum enumerationem ſatis copioſam invenies in prologis ad harum epiſtolarum interpretationem a. VV. s. VV. POTTIO *b*) et AUGUSTIO *c*) ſcriptis, non reperiuntur niſi tres, quae probabilitatem haud con-

a) *De Amicit.* c. 19.
b) Editio *Epiſtolae Jacobi* altera p. 25 ſqq.
c) Die kathol. Briefe neu überſetzt. P. I. p. 15 ſqq.

contemnendam prae ſe ferant, et dignae ſint, ut accuratius examinentur. Ne igitur iuſtos huius ſcriptionis fines excedere videamur, in earum probabilitate ponderanda et diiudicanda ſubſiſtamus, caeteris omnibus nunc quidem relictis ac ſpretis.

Primo loco ponamus veterem illam explicationem, quae docet: „epiſtolas noſtras dictas eſſe καθολικας veluti εγκυκλιους, quoniam non „ſingulae genti aut civitati inſcriptae ſint, ut Pauli epiſtolae, ſed in univer„ſum (καθ' ὁλου) omnibus omnino Chriſti aſſeclis“ d) unde ergo ſequitur, hoc nomen a vetuſtiſſima eccleſia noſtris epiſtolis impoſitum eſſe eo conſilio, ut a Paulinis diſtinguerentur. — Haec expoſitio utique habet, quae eam commendent, et analogiam priorum eccleſiae temporum et traditionem perantiquam; ſicut enim vetuſtiſſima eccleſia diſtinxit inter Ευαγγελιον et Αποστολον, ita quoque diſtinguere potuit inter epiſtolas Paulinas et Non-Paulinas ſive Catholicas. Porro illa explicatio, quamquam demum a ſcriptoribus ſerioris aevi proponitur, tamen traditione aliqua hiſtorica a vetu-

d) Ita enim *Leontius*, qui in fine ſeculi ſexti claruit, *de Sectis* c. 2. Καθολικαι δε εκληθησαν, επειδαν μ πρὸς ἑν εθνος εγραφησαν, ὡς αἱ τ Παυλ, αλλα καθολ προς παντα· et uberius in eandem ſententiam *Oecumenius* in Cap. I. *Jacobi*, (niſi fallor ex *Theodoreto*) Καθολικαι λεγονται αὑται, οἱονει εγκυκλιοι, μ γαρ αφορισμενως εθνει ἑνι η πολει, ὡς θειος Παυλος, οἱον Ρωμαιοις η Κορινθιοις, προσφωνει ταυτας τας επιστολας ὁ των τοιουτων τ Κυριμ μαθητων θειασος· αλλα καθολ τοις πιστοις, ητοι Ιουδαιοις τοις εν τῃ διασπορᾳ, ὡς Πετρος, η και παστ τοις ὑπο την αυτην πιστιν Χριστιανοις τελουσιν. Reperio ſcilicet haec verba tanquam verba *Theodoreti* in *Wolfii* et *Pottii* prolegomenis in epiſtolas catholicas; ſed neuter eorum locum *Theodoreti certum* indicavit, ubi exſtent. Quum vero ea in *Theodoreti* operibus fruſtra quaeſiverim et apud *Suicerum* in Theſ. eccleſ. v. καθολικος verba *Oecumenii* in caput I Jacobi p. 115 idem ſonantia, quamvis contracta, legantur; equidem conjicio, *Oecumenium* ea ex *Theodoreti* libro deperdito excerpta dediſſe. Quae quidem res facile ad liquidum perduci poterit ab eo, cui poteſtas eſt adeundi *Oecumenium* ipſum. Caeterum eadem verba invenies tanquam ſcholion in *Matthaeii* N. T. principio epiſt. Jacobi

tuſtate accepta niti videtur, nam ita abhorret a conſuetudine et uſu ſeculi quarti et quinti, ut a ſuperioribus temporibus derivanda ſit, ubi epiſtolam ad Ebraeos a Paulo ſcriptam eſſe adhuc dubitabatur, et ubi epiſtolae Joannis poſteriores nondum in numerum epiſtolarum catholicarum referebantur. Alioquin enim quilibet ſanae mentis non potuiſſet non videre, illam non quadrare, quoniam hoc ſenſu epiſtola Pauli ad Ebraeos aeque erat *univerſalis* ſive catholica, epiſtolae vero Joannis poſteriores, ad ſingulas perſonas ſcriptae, nullo modo univerſales vocari poterant, ſed quam maxime particulares putandae erant. Qua quidem obſervatione quoque plures oppoſitiones removeri poſſunt, quae contra illam veterem expoſitionem prolatae ſunt. *Obiiciunt* ſcilicet, eam non eſſe poſſe genuinam, quoniam eius ſenſus non cadat in epiſtolam Pauli ad Ebraeos, quae ſit univerſalis. Reſpondemus, in vetuſtiſſima eccleſia parum exploratum fuiſſe, num Paulus auctor epiſtolae habendus ſit, an alienus? et ab *Hieronymi* demum temporibus morem invaluiſſe, eam τοις ὁμολογουμενοις accenſendi. Quare etiam eruditi noſtri temporis eodem modo dubitantes, quo veteres, eam Pauli non eſſe poſſe pronuntiarunt, inter quos b. Morum, praeſtantiſſimum N. T. interpretem et ſobrium in arte critica iudicem, ante omnes alios laudaſſe ſufficiat *e*). Potuiſſet igitur haec epiſtola iure ſuo catholicis annumerari, et forſan iis annumerata fuiſſet, niſi traditio aliqua particularis eam Paulo adſcripſiſſet, quod in cauſa fuit, cur eam ut dubiam in medio relinquerent. *Obiiciunt* porro, e. g. (ut noſtrates taceam) Cotelerius *f*) et Bensonius *g*) illi veterum expoſitioni adverſari epiſtolas Joannis poſteriores ad ſingulas perſonas ſcriptas. Enimvero pro certo affirmare licet, has epiſtolas prioribus eccleſiae temporibus nomine catholicarum epiſtolarum non inſignitas fuiſſe, ſed hanc appellationem demum paulatim procedente tempore ad eas translatam eſſe. — Quamvis autem haec ita ſe habeant, tamen duo argumenta graviſſima reſtant, quae impedimento ſunt, quo minus veterem illam explicationem amplectamur, nam ſi in omnes partes conſiderationem intenderis, animadvertes, eam nec in epiſtolas omnes, quae primitus catholicae vocatae ſunt, con-

e) cf. vita viri b. in libro bonae frugis pleno: *Nekrolog*, herausgegeben von *Schlichtegroll*. 3ter Jahrgang. Vol. I. p. 333.
f) *In edit. PP. apoſtol.* T. I. p. 6.
g) *Paraphraſtiſche Erklärung des N. T.* Vol. 3. in praefamine p. IX.

convenire, neque cum usu dicendi veteris ecclesiae conspirare. Scilicet inter eas, quibus principio nomen *των επιστολων καθολικων* imponebatur, fuit sine dubio *prima* Petri *h*), quae minime ad omnes omnino Christi asseclas scripta est, sed nominatim ad ecclesias in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia. cf. 1 Petr. I, 1. Porro *Eusebius* narrat *i*), Acta Petri ejusque Evangelium, Praedicationem ac Revelationem nunquam inter catholica scripta (*εν καθολικοις*) habita fuisse, quandoquidem nec vetustiorum quisquam, nec recentiorum ecclesiae scriptorum testimonio ex iis desumto usus sit. — Ratio igitur, cur quaedam scripta catholica dicerentur, plane alia fuit, ac universitas eorum, quum sine dubio Evangelium, Praedicatio et Revelatio Petri omnibus omnino Christianis scripta essent, et hactenus in numerum catholicorum referenda fuissent. — Inde conficitur, testimonia veterum supra allegata non nisi aliqua traditione *historica*, sed explicationem, quam litteris mandarunt, ex etymologia vocis *της καθολικης* i. e. *universalis* originem traxisse, eique eo minus fidem habendam esse, quo minus ille significatus cum usu dicendi antiquae ecclesiae congruat.

Progrediamur igitur ad alteram sententiam, quae statuit: „nomen „*των επιστολων καθολικων* spectare naturam et indolem quarundam epi„stolarum, atque innuere ejusmodi scripta, quae ad promovendam et „conservandam fidem catholicam i. e. orthodoxam conferant;“ unde ergo sequitur, hanc appellationem non valuisse ad distinguendum epistolas catholicas a Paulinis, sed potius ab aliis scriptis, quae non eandem fidem mererentur. — Hanc sententiam V. s. V. SCHMIDTIUS l. c. declarat probabiliorem, nec potest negari, eam argumentis ab usu dicendi repetitis superstructam esse, quae verisimilitudinem ei concilient. Eusebius enim epistolas *Dionysii Corinthiaci*, quas catholicas appellat *k*), ita describit, ut illis propterea hoc nomen indidisse videatur, quod ad fidem catholicam amplificandam et tuendam idoneae sint. Eodem sensu quoque *Origenes l*) epistolam *Barnabae* vocare poterat catholicam, quoniam in anti-

b) Quod sagacissime odoratus est V. s. V. SCHMIDTIUS, Theologus Giessensis, in libro inscripto: *Historisch kritische Einleitung ins N. T.* p. 297. 98.

i) *Hist. eccles.* III, 3.

k) *Histor. eccles.* IV, 23.

l) *Contra Celsum* L. I. sub fin. *Γεγραπται δη εν τη Βαρναβα καθολικη επιστολη.*

antiquissima ecclesia tanquam apostolica lectitabatur, adeoque ad promovendam fidem catholicam apta iudicabatur. Verum enimvero, si hunc sensum admittamus, non apparet, quidni epistola Petri altera, Joannis secunda et tertia aeque catholicae vocatae sint (quod quidem non usu venit seculo tertio) quum aeque ad fidem catholicam fovendam et propagandam facere potuissent, ac epistola *Barnabae?* Quare equidem nolim hanc sententiam existimare *probabiliorem*, licet non omni probabilitate destituatur.

Tertia sententia est HAMMONDI, BENSONIO *m*) probata, et a NOESSELTO V. cl. V. proprio Marte ita proposita *n*), ut paululum immutata etiam mihi videatur verisimilior. Suspicabatur HAMMONDUS in fine praefationis ad alteram *Joannis* epistolam: „epistolas catholicas esse tales, quae „ab ecclesia catholica pro vere apostolicis et canonicis haberentur, et primi„tus non nisi *primam Petri* et *primam Joannis*, quas ecclesia catholica vere „apostolicas censeret, appellatas esse catholicas eo consilio, ut distingue„rentur a reliquis quinque epistolis, de quarum authentia adhuc dubitaretur. „Quum vero procedente tempore reliquae quinque epistolae quoque tanquam „vere apostolicae in canonem reciperentur, nomen ad eas translatum esse.“ — Hanc sententiam BENSONIUS l. c. pronuntiavit omnium, quae sibi innotuerint, verisimillimam. NOESSELTUS vero, qui nec ad HAMMONDUM nec ad BENSONIUM respexisse videtur, eandem sententiam, quae eius est doctrina atque sagacitas, diligentius ac subtilius ita proposuit, ut primum usum dicendi recentiorem a veteri accurate disiungeret; deinde nomen *των επιστολων καθολικων* principio epistolis primis *Petri* et *Joannis* propterea proprium fuisse, ut a ceteris eorumdem auctorum, quae incertae fidei essent, discernerentur, pronuntiaret, porro epistolam catholicam antiquitus pro epistola *legitima omnium consensu probata adeoque canonica* dictam esse doceret; denique nomine ad reliquas quinque nostras translato, omnes septem in unum corpus coniunctas fuisse ideo, ut a *Pauli* epistolis distinguerentur, suo iure suspicaretur. — Quum vero haec sententia subinde impugnata sit, et plures dubitationes contra eam motae inveniantur *o*), equidem

m) *Paraphraſtiſche Erklärung des N. T.* Vol. 3. in Praefam. p. X.

n) in *Conjecturis ad hiſtoriam catholicae Jacobi epiſtolae* V. Opusc. Faſc. II. p. 303 seqq.

o) cf. POTTIUS in Prolegomenis ad epistolas catholicas p. 26 seqq. et censor in cel. GABLERI novo diario theol. P. 16. p. 173 seqq.

dem illam paulorum inversam meo more meisque argumentis denuo stabilire conabor.

Quamvis in constituendo sensu vocis τῆς καθολικῆς non soli notioni etymologicae inhaerendum, sed potius usus dicendi inprimis veterrimus consulatur necesse sit; tamen ille sensus ita comparatus esse debet, ut a significatu primitivo iuste derivari possit. Iam vero ἡ ἐπιστολὴ καθολικὴ notione etymologica non significavit nisi epistolam *universalem*, sive *generalem*. Quod si igitur deprehendis, scriptores ecclesiasticos seculi tertii *Originem* et *Dionysium Alexandrinum* tantummodo epistolas primas *Joannis* et *Petri*, illasque *Judae* et *Barnabae*, nec plures, appellare καθολικὰς, epistola *Jacobi*, secunda et tertia *Joannis*, atque altera *Petri* adeo hoc nomine excluſis, vides, universitatem illarum epistolarum ad auctoritatem aliquam ecclesiae redire, nec inscriptionem respicere, quum epistola *prima Petri* non ad universam ecclesiam scripta sit, neque epistolarum naturam et indolem spectare, quum hactenus epistola *Jacobi* et *secunda Petri* eodem iure universales dici potuissent, quo *prima*. Videntur igitur illi scriptores hoc nomine indicare voluisse, epistolas, quas dicunt catholicas, *ab universo ecclesiae orthodoxae coetu esse receptas*, adeoque censeri *genuinas* i. e. *vere apostolicas* et *divinas*.

Ita quoque res se habuit et sensus τῆς καθολικῆς, si quid video, hic non est, nisi *ab universa ecclesia receptus*, adeoque *genuinus* et *vere apostolicus*, sive, ut postea dictum est, *canonicus*. Quod ut magis eluceat, agite, originem huius appellationis historice indagemus, probationem ab usu veterum petentes. — Quum epistolae Paulinae prius scriptae etiam pluribus ecclesiis prius innotuissent, atque publica lectione probatae essent, de earum authentia non dubitatum est, excepta una ad Ebraeos *p*), sed quum sensim plures epistolae emersissent, eaeque ex singulis ecclesiis, interdum adeo remotis, ut nonnullae non nisi tempore omnibus innotescerent, suspicio de quarumdam auctoritate et fide orta est, etiamsi inter has epistolas non-Paulinas erant, quae instar Paulinarum a pluribus et fere omnibus tanquam genuinae reciperentur. Quas, ut a dubiis distinguerent, *canonicas* ap-

p) Cf. *Euseb. Hist. eccles.* III, 3. Τῆς δὲ Παύλου προδηλοι καὶ σαφεῖς αἱ δεκατεσσαρες· ὅτι γε μὴν τινες ἠθετηκασι τὴν πρὸς Ἑβραιους — — τοῦ δικαιου ἀγνοειν.

appellare potuissent; sed quum haec vox de scriptis N. T. nondum in usu esset, eas nomine *catholicarum* insigniverunt. Hoc nomen demum seculo *tertio* (nam in patribus apostolicis non obvium est, neque hoc sensu in reliquis seculi secundi scriptoribus ecclesiasticis) quibusdam epistolis non-Paulinis impositum est, quae vere apostolicae atque genuinae existimabantur, nominatim ab *Origene* epistolae *Barnabae* q), primis *Joannis* r) et *Petri* s) illique *Judae* t) et a *Dionysio Alexandrino*, Origenis discipulo quoque primae *Joannis* v), unde tuo iure coniicias, illud *Origeni*, sive saltem ecclesiae Alexandrinae originem debere. Deinde ad reliquas quatuor nostras translatum est, ita ut seculo quarto mos obtineret, septem nostras per eminentiam hoc nomine insigniendi, easque in unum corpus coniungendi, ut a Paulinis distinguerentur. — Hanc sententiam ex usu veterum derivatam esse eo magis patebit, quo diligentius loca scriptorum ecclesiasticorum huc spectantium, quorum magna pars quoque in dissertatione collegae solenni legitur, perlustraverimus. Ordiamur igitur ab *Origine* tanquam principe, nam locus *Clementis Alexandrini* x), quem laudant, huc non pertinet, quo-

q) l. supra citato.

r) Comment. in Matth. V. III p. 797 ed. DE LA RUE. Προσχες, ει δυνασαι το απο της Ιωαννυ καθολικης επιστολης, ὑτως εχον· αγαπητοι 1 Joan. III, 2. Porro Comment. in Joan. Vol. IV. p. 76. ubi verba 1 Joan. I, 5. ita laudat: εν τη καθολικη τυ αυτυ Ιωαννυ επιστολη.

s) Comment. in Joan. T. IV. p. 135: Παρα τω Πετρω εν τη καθολικη επιστολη. Θανατωθεις γαρ, φησι, σαρκι cet. cet. 1 Petr. III, 18 — 28. Porro apud *Eusebium* in H. E. VI, 25 haec sunt verba Origenis: ὁν (Μαρκον) και υἱον εν τη καθολικη επιστολη δια τυτων ὁμολογησε (Πετρος) Φασκων· ασπαζεται ὑμας cet. 1 Petri V, 13.

t) Homil. VII in Jos. T. II p. 412: „Judas apostolus in epistola *catholica* dicit."

v) Apud *Eusb.* hist. eccles. VII, 25: Το ευαγγελιον το κατα Ιωαννην επιγεγραμμενον και η επιστολη η καθολικη. — — — Ὁ δε γε Ευαγγελιστης (Ιωαννης) ὑδε της καθολικης επιστολης προεγραψεν εαυτυ το ονομα.

x) Stromat. L. IV. p. 512. Sylb. κατα την επιστολην την καθολικην

των

quoniam, dum epiſtolam eccleſiae Hieroſolymitanae Act. XV, 23. *catholicam* vocat, hac voce ſignificatu primitivo, quo inter Graecos uſitata erat, utitur, ut ſit epiſtola *univerſalis* ſive *generalis*, quatenus ab *omnibus Apoſtolis* ſcripta cenſebatur. Hanc explicationem Clemens ſtatim ſubiungit, quare de vero ſenſu huius loci nulla controverſia eſſe poteſt. Contra vero neque ille neque alius ſcriptor eccleſiaſticus ſeculi ſecundi ullam noſtrarum epiſtolarum catholicarum hoc nomine appellat *y*). *Origenes* igitur, qui primus epiſtolam Barnabae vocat *catholicam*, non innuere voluit, niſi eam eſſe *genuinam*, et *vere apoſtolicam* ſive *canonicam*. Talis enim habebatur et ab illo et ab eius doctore *Clemente Alexandrino*, quod recte obſervavit COTELERIUS, de epiſtola Barnabae ita diſſerens *z*): „Quapropter „*Origenes*, qui putavit opus eſſe *Barnabae*, credidit eam eſſe *canonicam*. „Sunt, inquit ad v. 24. C. I. epiſt. ad Rom., praeterea (*ſicut in multis „ſcripturae locis invenimus*) etiam utriusque partis vel utriusque viae fauto„res quidam et adiutores Angeli etc. — ubi, quis non videt, alludit ad „c. 18. epiſtolae Barnabae de duabus viis et de Angelis utrique viae praepo„ſitis.“ Eodem modo *Clemens Alexandrinus* locum epiſtolae Barnabae tanquam teſtimonium ſacrae ſcripturae excitat *a*). Quodſi porro *Origenes* pri-

των αποστολων απαντων, συν τη ευδοκια του αγιου πνευματος, τη γεγραμμενη μεν εν ταις Περαξεσι των Αποστολων διακονισθεισης δε εις τας πιστεις δι' αυτου διακονηντος του Παυλου.

y) Idem CLEMENS, epiſtolam *Joannis primam* allegans, eam vocat epiſtolam *maiorem in Stromat.* L. II p. 389. Φαινεται δε και Ιωαννης εν τη μειζονι επιστολη τας διαφορας των αμαρτιων εκδιδασκων εν τουτοις εαν τις ιδη τον αδελφον κ. τ. λ., 1 Joan. V. 16. *Primam Petri* vero laudat tanquam unicam in Stromat. 3, 18. 4, 13. Πετρος εν τη επιστολη λεγει· cf. ſ. V. DAHL p. 7. Eodem modo quoque IRENAEUS adv. Haeref. v. 23. „Petrus ait *in epiſtola ſua*“ cf. DAHL p. 5.

z) In PP. apoſtol. T. I. p. 6.

a) *Stromat.* L. II. p. 410. Sylb. Ου μοι δοκει πλειονων λογων παρεθεμενω μαρτυν τον αποστολικον Βαρναβαν (ο δε των εβδομηκοντος ην, και συνεργος του Παυλου) κατα λεξιν ωδε πως λεγοντα κ. τ. λ. Alio loco Barnabam vocat Apoſtolum (ut in Act. XIV, 14) L. II. p. 373. 75. et ſubinde eum laudat p. 389. 396. 571. 72. 77. 78.

primam *Petri* nominat *catholicam*, ille non minus indicare voluit, eam esse ab universo ecclesiae orthodoxae coetu receptam, adeoque genuinam, vere apostolicam et canonicam, nam loco ultimo supra laudato *b*) paullo inferius subiungit: „Petrum *unam* duntaxat reliquisse epistolam *omnium* „*consensu receptam*, quum de altera ambigatur." Cernis igitur την επιστολην καθολικην et ὁμολογουμενην ei esse aequalem. Quibus quidem ita comparatis inde quoque concludere licet ad epistolas *Joannis*, quarum primam loco supra citato nominat *catholicam*, alio vero loco ita distinguit a secunda et tertia, ut tantum primam illam genuinam et vere apostolicam sive canonicam iudicasse existimandus sit *c*). Hinc sua sponte patet, eundem sensum quoque admittendum esse, dum epistolam Judae aeque dicit *catholicam*. *Dionysius* vero *Alexandrinus*, Origenis discipulus, in fragmentis ab *Eusebio* servatis saltem hactenus cum doctore suo consPirat, ut *primam Joannis* epistolam aeque nominet *catholicam*, et reliquas duas nomine των φερομενων (i. e. quas Joannis esse ferunt sive censent) tanquam dubias a prima discernat *d*). Scripta huius viri praeter fragmenta quaedam periisse dolemus, quum sine dubio ex iis multa alia probari potuissent. Ceterum ex omnibus his argumentis id efficitur, *seculo tertio*, quantum scimus, nomen των επιστολων καθολικων non nisi *tribus* N. T. epistolis fuisse inditum, *primae Joannis*, *primae Petri* illique *Judae*, quam saltem *Origenes* ge-

 nui-

78. Teste vero *Eusebio* (Hist. eccles. VI, 14.) in libris *Hypotyposeon* et huius epistolae et aliarum catholicarum compendiosam institutionem expositionem.

b) Apud *Eusebium* hist. eccles. VI, 25. Cf. DAHL p. 10.

c) Fragmenta e tomo Vto Commentt. in Joan. Opp. T. IV. p. 95 ed. DE LA RUE. Καταλελοιπε δε και (Ιωαννης) επιστολην παυυ ολιγων στιχων· εγω δε και δευτεραν και τριτην, επει και παντες φασι γνησιας ειναι ταυτας. Eadem Origenis verba v. apud Euseb. H. E. VI, 25.

d) cf. *Euseb. Hist. eccles.* VII, 25: Το ευαγγελιον το κατα Ιωαννην επιγεγραμμενον, και ἡ επιστολη ἡ καθολικη. —— Ὁ δε γε ευαγγελιστης ουδε της καθολικης επιστολης προσγραψεν εαυτου το ονομα. —— —— Αλλ' ουδε εν τη δευτερα Φερομενη Ιωαννου και τριτη, καιτοι βραχειαις ουσαις επιστολαις ὁ Ιωαννης ονομασι προκειται κ. τ. λ.

nuinam cenſuit. Putares etiam *epiſtolae Jacobi;* at vero *Origenes*, qui primus hanc nominatim laudat, eam non dicit catholicam, ſed potius nomine της φερομενης eam declarat dubiam e).

Tranſeamus nunc ad ſeculum quartum, et videamus ante omnes alios *Euſebium*. Enimvero quod ad hunc eccleſiaſticae hiſtoriae patrem attinet, conſtat inter omnes rei peritos, eius dicendi genus parum diligens eſſe atque ſubtile, ſed rude potius et ſubinde confuſum, unde e. g. factum eſt, ut locus ille inſignis, ubi de ſcriptis ὁμολογουμενοις, ἀντιλεγομενοις et νοθοις agit, tantis implicaretur difficultatibus. Quare ante omnia eo enitendum eſt, ut in locis huc pertinentibus diſtincta diſcernantur a minus diſtinctis, et ut varius eius uſus vocis τυ καθολικυ accurate obſervetur, quo facto omnia erunt expeditiora. Itaque primo loco notetur, eius tempore omnes ſeptem noſtras epiſtolas Non-Paulinas iam vocatas eſſe catholicas; ſed *Euſebium* quoque, dum illas appellat „*ſic dictas* (ονομαζομενας, λεγομενας) *catholicas*" ſimul innuere, hoc nomen abuſive ad reliquas dubiae fidei translatum eſſe, e. g. ad epiſtolam *Jacobi* et *Judae*, quamquam non iniuria, quandoquidem illae una cum ceteris genuinis in pluribus eccleſiis publice praelegantur f). Inde, ſi quid video, ſua ſponte ſequitur, *Euſebium* quoque ſub voce επιστολης καθολικης intelligere epiſtolam genuinam, vere apoſtolicam ſive canonicam. Sed non opus eſt, ut in probanda hac noſtra ſententia huic loco ſoli inhaereamus, quum inſuper aliunde probari poſſit. Etenim alio loco Euſebius refert g) „*primam Petri* epiſtolam omnium conſenſu eſſe re„ceptam (ανωμολογηται) cum veteres eccleſiae ſcriptores eam ut indu„biam (ἀναμφιλεκτον) in ſcriptis ſuis laudaſſent. *Alteram* quidem „*Petri* non eſſe, quae in numero librorum N. T. habeatur (κα

e) cf. Orig. Comment. in Joh. p. 306 T. IV ed. cit.

f) Vid. locus claſſicus *Hiſt. eccleſ.* II, 23. fin. Τουτων δε τα κατα τον Ιακωβον, ᾧ ἡ πρωτη των ονομαζομενων καθολικων επιστολων ειναι λεγεται. Ισεον δε, ὡς νοθευεται μεν ὑ πολλοι γυν των παλαιων αυτης εμνημονευσαν, ὡς δε της λεγομενης Ιυδα, μιας και ταυτης υσης των επτα λεγομενων καθολικων. Ὁμως δε ισμεν, και ταυτας μετα των λοιπων εν πλειοσαις δεδημοσιευμενας εκκλησιαις.

g) *Hiſt. eccleſiaſt.* III, 3. Cf. DAHL p. 16.

„ἐνδιάθηκον εἶναι): ſed quum pluribus utilis viſa fuiſſet, etiam cum reli-„quis ſacrae ſcripturae libris lectitatam eſſe. Enimvero *Acta*, *Evange-„lium*, *Praedicationem* et *Revelationem* Petri nunquam inter *catholica* „ſcripta (ἐν καθολικοῖς) relata fuiſſe, quandoquidem nec vetuſtiorum „quisquam nec recentiorum eccleſiae ſcriptorum teſtimonio ex iis libris „deſumto uſus ſit.“ Apparet igitur, *Euſebium* h. l. *primam Petri* no-minare ἀνωμολογουμένην ſive omnium conſenſu probatam i. e. canonicam, quum veteres in ſcriptis ſuis ſaepius ea uſi ſint, et *Acta Petri* cet. cet. de-clarare *non catholica*, quandoquidem nec veteres nec recentiores ſcripto-res eorum teſtimonio uſi ſint — unde ſequitur, ἐπιστολὴν ὁμολογουμένην et καθολικὴν ei eſſe aequalem, quare etiam STROTHIUS in verſione Ger-manica huius loci ultimam vocem recte vertit *canonicam*. Niſi *Euſebius* confuſo ſuo genere dicendi utens ſententiam de *altera Petri* inmiſcuiſſet parum accuratam, quamquam illam epiſtolam alibi (H. E. III, 25.) rec-tius vocat ἀντιλεγομένην i. e. δευτεροκανονικὴν, vix fieri potuiſſet, ut viri docti illum locum in contrariam ſententiam adducerent, licet NOESSEL-TUS verum ejus ſenſum jam expoſuiſſet *h*). Recte igitur CASSIODORUS *i*) epiſtolas noſtras catholicas nominat *canonicas*, quum epiſtola *catholica* ſemper eo ſenſu dicta ſit, ut ſignificet *canonicam*. Contra vero plane alio vocis ſenſu *Euſebius* epiſtolas *Dionyſii Corinthiaci* appellat *catholicas k*), quum contextus doceat, epiſtolas catholicas h. e. dictas eſſe pro *orthodoxis*, quo ſenſu *Euſebius* ἐκκλησιαν καθολικὴν aliasque huius generis dicendi formulas componit. Huc quoque locus alius *Euſebii l*) valde obſcurus referendus, ubi *Apollonius*, ſcriptor ſeculi ſecundi, aſſerit, „*Themiſo-„nem* Cataphrygium auſum eſſe, imitando Apoſtolum *m*) conſcripta ali-„qua epiſtola *catholica* eos inſtituere, qui *fideliores* ipſo fuiſſent.“ Hic ultima verba docent, epiſtolam catholicam dictam eſſe pro orthodoxa, nam *fideliores* ſunt orthodoxi. Denique *Amphilochius* (ſive alius ſe-culi

h) l. c. p. 305.

i) *Divin. lectt.* c. 8. cf. *Dabl* p. 6.

k) *Hiſt. eccleſ.* IV, 23: Χρησιμωτατον ἁπασιν ἑαυτον καθιςας εν ταις καθολικαις προς εκκλησιας επιστολαις.

l) *Hiſt. eccleſ.* V, 18.

m) Non apparet *quem*? niſi forte ὁ Ἀποστολος h. l. vetuſtiſſimo dicendi uſu pro ſcriptis Apoſtolorum, exceptis Evangeliis, poſitus ſit.

culi quarti auctor) *n*) de numero epistolarum catholicarum refert, alios modo *tres* recipere i. e. existimare canonicas *primas Petri et Joannis illamque Jacobi*, alios vero omnes *septem* nostras, unde patet, epistolam *Jacobi* tempore huiusce auctoris maiorem auctoritatem nactam esse, quam illam Judae, quae *Origeni* erat *tertia* catholica.

Sed haec hactenus. Subiungamus nunc, quae Vir summe Venerabilis de vita sua in literis perpetuo exacta breviter et modeste ipse exposuit:

„*Ego* JOANNES CHRISTIANUS GUILIELMUS DAHL *calendis Septembr. anni MDCCLXXI Rostochii natus sum, parentibus adhuc superstitibus iisque ob probitatis exemplum singularemque me, unicum filium, a teneris iuste educandi curam pietate mea dignissimis, patre* JOACHIMO FRIDERICO, *cive Rostochiensi, viro honesto, et matre* CATHARINA DOROTHEA CRAMER. *Ut aetas puerilis ad humanitatem liberaliter informaretur, tradiderunt me viris, qui eo tempore in hac urbe iuventuti privatim edocendae operam navabant, quorum ex numero grata mente mihi nominandus est cl.* STEIN, *ll. aa. magister. Deinde quum iste ad munus concionatoris sacri a coetu christiano Germanorum Gothenburgiae in Suecia degentium vocatus abiisset mihique, cuius animum literarum dulcedo iam occupaverat, parentibus non quidem excitantibus, nec tamen retinentibus, propositum esset, vitae dies viresque scientiarum, Theologiae inprimis studiis dicare, scholam civitatis patriae publicam, ubi ad academiam praeparantur iuvenum ingenia, annum decimum tertium agens intravi ibique a viris postea placide defunctis, Conrectore* SPIEGELBERGIO *et Rectore ac Prof.* LASIO *bonis et utilibus literis, maxime latinis, per quadriennium solerter et fideliter imbutus sum. Praeterea horis privatis geometriae elementa me edocuit* OERTHLINGIUS, *qui deinde ecclesiae Satowiensis pastor praematura vita decessit. In addiscendis vero linguis exoticis gallica, anglica ut et italica me adiuvit egregia doctrina clarissimi ac amicissimi* AHLWARDTI, *qui tum in hac literarum universitate privatim docebat, nunc vero de gymnasio Oldenburgensi, cui praeest, bene meretur. Anno 1788 circa festum Michaelis ad studia academica progressus sum, iam antea ab ill. Icto* ESCHENBACHIO, *tum temporis academiae Rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus. Frequentavi lectiones philologicas et philosophicas trium-*

n) *In Jambis ad Seleucum* p. 310—315. cf. *Dahl* p. 21.

triumvirorum, qui iam ad beatas ſedes migrarunt, Lasii, Beckeri *et* Wittii, *pariterque philoſophicas excell.* Roenbergii, *mathematicas eruditiſſimi* Schadeloockii, *hiſtoricas ill.* Norrmanni. *Ad literarum orientalium adyta vero celebrata doctrina et indefeſſa cura illuſtris* Tychsenii *noſtri me admovit. E Theologorum ordine audivi ſumme venerabilem* Velthusenium, *qui poſthac ad munus graviſſimum ſummi eccleſiarum Bremenſium et Verdenſium praefecti Stadam abibat, b.* Pries *et ſ. vener.* Martinium, *iam in academia regia bavarica Altorfina Theologum celeberrimum. Semenarii paedagogico-theologici ſociis adſcriptus duce* Velthusenio *et deinde* Martinio, *exercitiis homileticis et catecheticis operam dedi. Praeterea varios antiquos Graeciae Latiique auctores, utpote quibus omnis honeſtatis pulchritudinisque ſenſus acuitur viaque ad quamlibet liberalem doctrinam egregie munitur, privata diligentia, nonnullos quoque praeeunte* Ahlwardto *perlegi, itemque horis ſubſecivis, inſtigantibus duumviris venerandis* Tychsenio *et* Lasio, *collationem codicis MS. membranei,* Sallustium Eutropii*que fragmentum complectentis, quem bibliotheca acad. poſſidet, ſedulo curavi, adiuvante amico coniunctiſſimo, cl.* Zaepelihn, *qui nunc per terrarum mariumque vaſtitatem a patria diſiunctus in academia imperiali ruſſica Caſanae efflorescente disciplinas hiſtoricas et geographicas profitetur* †). *Ceterum omnibus meis in hac alma patria praeceptoribus, quorum iam nonnullos collegas, fautores atque amicos deveneror, inde quoque maxime obſtrictus teneor, quod me quavis occaſione ad ſtudia privata mea regunda prudenti conſilio ſupellectileque literaria communicanda benigne adiuverunt.*

Anno 1792 menſe Martio, ſtipendio Sassiano *adiutus Jenam me contuli, ibi ſtudia mea proſecuturus. Audivi Theologos celeberrimos,* Doederlinium, *mox vero praematura morte lugenti academiae abreptum,* Griesbachium *et* Paulum, *hiſtorica atque exegetica praeclare illuſtrantes. Frequentavi ſcholas philoſophicas* Reinholdi, *qui nunc Kiloniam ornat, et* C. E. Schmidii, *qui iam Theologorum ordini adſcriptus eſt, itemque lectiones literarias et philologicas ill.* Schuetzii, *poſtea in academiam Halenſem reverſi. Adfui quoque auditor b.* Batschio *hiſtoriam naturalem enarranti et* Ulrichio, *hiſtoriam artium publice delineanti. Sicuti omnium*

†) *Notitiam codicis mei cum ſpecimine praecipuarum lectionis varietatum publici iuris fecimus in libro menſtruo Roſtochienſi a* Koppio *et* Burchardio *VV. DD. edito. Exſtant quoque exemplaria ſingulariter deſcripta Lipſiae 1791. 8.*

omnium horum virorum praeſtantiſſimorum merita in me fuiſſe inſignia gratus profiteor, ita etiam benevolentiam Pauli *et* Schuetzii *privato uſu mihi probatam animo laeto reminiſcens recordor.*

Quum alias civitates regionesque, quae viris eruditis, quos foveut, nec non naturae et artis monumentis viſu digniſſimis excellent, cognoſcendi cupidine maxime flagrarem, durante otio academico una cum nonnullis commilitonibus, quibuscum amica et arctior mihi interceſſerat conſuetudo, itinera ſuscepi, quorum memoria adhuc mentem laetitia perfundit. Primum inter ferias autumnales 1792, tramite per Naumburgiam, Haſam Saxonum, Lipſiam et Miſenam directo, migravimus. Dresdam ibique per plures dies ſplendidam bibliothecam, muſeum antiquarium ceteroſque literarum artiumque theſauros perluſtravimus. Deinde ſupra montium metalliferorum iuga per Friburgam, Chemnitium, Altenburgiam Geramque in Almam Jenenſem reverſi ſumus. Inter ferias vernales vero 1793 per ſylvam thuringicam curſum direximus Coburgum, Bambergam et muſarum ſedem Erlangenſem; inde tetendimus Norimbergam et in academiam Altorfinam. Undique fere viros eruditos ſalutavimus rerumque memorabilium copias inſpeximus. Tum per Baruthum redeuntes iter iucundiſſimum et utiliſſimum confecimus.

Anno 1793 circa feſtum Mich. Jenae valedicens academiam Goettingenſem eo inprimis conſilio adii, ut ſcientiarum adminicula, quibus abundat et ſplendet, cognoſcerem. Profectus ſum per Vinariam, Erfurtum, Gotham, Schnepfenthaliam, inſtituto Salzmanni paedagogico notiſſimam, Iſenacum ac arcem, cui Wartburgia nomen eſt, olim maxime celebrem. Goettingae paucos dies poſt adventum illo morbo, cuius vi funeſtiſſima nuper inventum Jenneri, *Angli, humanam gentem liberavit, tam graviter affectus ſum, ut morti proximus eſſem. Valetudine auxilio divino et ſolertia praeſtantiſſimi medici,* Althofi, *feliciter reſtaurata adhuc per aliquot menſes recitationes virorum celeberr.* Heynii, Eichhornii, Spittleri *et* Heereni *frequentavi et bibliothecae acad. copias in uſum meum convertere ſtudui.*

Anno 1794 poſt Paſchatis feſtum, Caſſellis antea viſis, per Hannoveram et Hamburgum in patriam redii. Suerini vener. Tode, *tum rebus eccleſiaſticis per aliquam terrarum megapolenſium partem ſumme praefectum, reverenter acceſſi, ut licentiam concionandi impetrarem inque numerum candidatorum ſ. miniſterii reciperer. Cui rogatui*

meo

meo, postquam examine theologico defunctus eram, vir beatus humanissime satisfecit. Quo facto ad patrios lares reversus hic unum per annum otium meum literarum studiis retractandis et uberius excolendis tribui.

Sequente anno post festum paschale Gustroviam abii, viro animi candore et humanitate clarissimo, consultissimo NEUMANNO, *consiliario aulico et rerum ecclesiast. procuratore mihi quatuor filios iuste educandos eruiendosque demandante. Laetor adhuc bona occasione, me rebus paedagogicis ex ipsa praxi idoneum reddendi, nec sine iucundissimo sensu recordor gratam consuetudinem biennem cum ornatissima gente* NEUMANNIANA *et* SPALDINGIANA *itemque cum ecclesiarum Gymnasiique Gustrov. doctoribus, in primis* DIETZIO *meo, qui nunc Ratzeburgensium scholam cathedralem regit.*

Mense Aprili anni 1797 Rostochium redii, ibi in academia patria, licentia ab inclyto Philosophorum ordine antea gratiose impetrata, lectionibus publice privatimque habendis operam daturus. Prae ceteris recitationes in veteres auctores classicos desiderio iuvenum bonas literas adamantium convenire videbantur, quoniam graecae ling. Professor, qui tum erat, annorum gravitate corporisque infirmitate, quo minus lectionibus vacaret, impediebatur. Tales ergo indixi statimque mihi contigit, ut auditores assidui adessent. Quo incitatus anno subsequenti magisterii philosophici honores petii atque examine rigoroso exantlato, Decano ordinis Philosophorum ill. NORRMANNO *d. 11 Apr. accepi. Continuavi praelectiones in varios auctores graecos atque latinos tam poeticae quam prosae orationis, antiquitates romanas quoque explicui, postea vero interdum etiam, quae ad philologiam sacram pertineant, illustravi. Praeterea et in iuventute ad studia academica nondum matura literis humanioribus imbuenda, sermonibus sacris coram populo habendis scriptisque elaborandis operam collocavi.*

Postquam hoc modo per quinque et quod excurrit annos literas pro virili excolendo mihi ipsi ut aliis prodesse studueram, contigit ut Senatus huius civitatis amplissimus, Academiae Compatronus professionem graecarum literarum ordinariam, cuius missionem senex fere nonagenarius idemque meritissimus, LASIUS, *rogaverat, ex libero consilio mihi demandaret. Quo facto d. 29 Octobr. 1802 in senatum academicum legitime recipiebar. Paulo post societas latina*

Jenensis felicissimis auspiciis celeberrimi EICHSTADII *instaurata me sibi socium adscripsit et diplomate honorifico ornavit.*

Sicuti antea, ita etiam nunc, non adversantibus suscepti muneris ratione et partibus, sacrarum et profanarum literarum studium amico consortio tam publice quam privatim iungendum esse statuebam. Nec tamen cogitabam, me mox ad disciplinas theologicas unice docendas vocatum iri. Res insperata accidit. S. ven. MARTINI *aestate 1804 locum inter theologos rebusque eccles. evangel. regundis praefectos in academia Herbipolitana honorificentissime oblatum accipiebat. Dignus existimabar quem Theologorum ordo concinentibus ceteris senatui academico adscriptis, inter viros eruditos ad munus vacuum capessendum idoneos nominaret indeque SERENISSIMO PRINCIPI, cuius prosperitatem in hac temporum acerbitate ardentissimis precibus Deum oramus, clementissime visum est, mihi sacras literas in hac academia profitendi unaque Seminarium paedagogico-theologicum consilio, praelectionibus atque exemplo dirigendi demandare provinciam. Cuius gravissimi muneris partibus et officiis religiose satisfaciendis vires meas qualescunque, sicuti impendi, ita Deo auxiliante impendere pergam.*

More id postulante indicem scriptorum a me editorum subiungo:

Amos neu übersetzt und erläutert. Göttingen 1795. 8mai.

Observationes philologicae atque criticae ad quaedam prophetarum minorum loca, subiuncta vernacula *Chabacuci* interpretatione. Neostrel. 1798. 8mai.

Sallust's Catilina (cum praemissa commentatione de vita morumque et ingenii indole Sallustii) herausgegeben, cet. Braunschw. 1800. 8.

Erklärende Anmerkungen zu *Sallust's* Catilina. ibid. eod.

(Uterque liber pertinet ad opus consilio et sumtibus cel. *Campii* multis voluminibus editum atque inscriptum: *Encyclopädie der latein. Classiker &c.*)

Chrestomathia *Philoniana* sive *loci illustres* ex *Philone Alex.* decerpti et cum animadverss. editi. Hamburgi 1800. 8.

Chrestomathiae *Philonianae* Pars *altera* sive *Philonis Alex. libelli illustres* adversus Flaccum et de legatione ad Caium c. animadvv. editi. Hamb. 1802. 8.

Animadversiones criticae in *Taciti Agricolam.* Rostoch. 1802. 4.

Ankündigung und Proben einer neuen deutschen Uebersetzung des *Fl. Josephus* vom iüd. Kriege — exstant in cel. *Gableri* novissimo diario theologico in ann. 1802. Vol. I, p. 465—506. (Tam versio quam adiunctae animadversiones criticae, historicae cet. viris eruditis probabantur, sed a clar. *Frise* certior factus, cum versionem operis illius praestantissimi paene absolvisse, consilium meum abiecí.)

Theo-

Theocriti Carmina, recenſuit et annotationibus inſtruxit cet. Lipſ. 1804. 8. Deſcriptio vitae et ingenii b. *Laſii* — in cel. *Schlichtegroll* Nekrolog aufs J. 1803. — ed. Gothae 1804.

Quae ad Ephemerides literar. extraneas libris philologicis et theologicis recenſendis contulerim, hic non inveniunt locum. Eorum vero, quae interdum libris menſtruis in patria editis inferenda dedi, ſolummmodo memorare iuvat commentationem noviſſimam: *Noch etwas über das Kirchengeben* — in amiciſſ. *Dietzii Mecklenburg. Journal*, May 1806. pag. 321—380.“

Quibus quidem illius ſcriptis nunc accedit erudita haec diſſertatio, quam pro conſequenda Doctoris Theologiae dignitate Ordini noſtro obtulit

DE ΑΥΘΕΝΤΙΑ EPISTOLARUM PETRINAE POSTERIORIS ATQUE JUDAE.

Faxit Deus ter Optimus Maximus, ut Vir Doctiſſimus chriſtianae diſciplinae ejusque Theologiae apud nos propagandae atque excolendae fructuoſiſſimam porro operam impendat. Ita fiet, plaudentibus omnibus bonis, ut, qui in poſterum egregia eius inſtitutione uſuri ſint, non minus ad ſalubrem ingenii morumque culturam proficiant, quam alii plures, qui ea iam uſi ſunt, profecerunt. Proinde et nos laetabimur, ſi collegam noſtrum coniunctiſſimum doctrinae ac verae pietatis laude florentem, omnibus rebus, quibus humana felicitas cenſetur, cumulatiſſimum viderimus. P. P. in Academia Roſtochienſi d. VI Februarii MDCCCVII.

3 2044 069 679 421